M. [illegible]

C. Cornelii Taciti
Equitis Romani

GERMANIA.

Recensuit,
varietate lectionis instruxit,
annotationemque G. G. Bredovii integram
addidit

Franciscus Passow.

Editio altera auctior.

Vratislaviae apud Josephum Max et Soc.
MDCCCXVII.

Ludovico Wachlero,

vita scriptisque Taciti aemulo,

pietas filii.

Germaniae Bredovianae, typis iterum describendae, quum primum opellam meam qualemcunque addixissem: nihil fere eram additurus, nisi si qua post annum hujus saeculi octavum, quo prima emissa erat editio, textui melius adornando accesserint, paucissima certe numero; nihil vero correcturus praeter errores quosdam in indicandis scripturae fontibus commissos. Sed mox abjeci consilium, viro, dum viveret, in emendandis expoliendisque operibus suis indefessum studium collocante parum dignum. Praeterea mihi persuaseram, discrepantias librorum, a Bredovio in imo plagularum margine notatas, nec plenas, nec certo quodam judicio e majoribus copiis selectas, nec ubique accurate indicatas, onerare potius quam ornare editionem. Nullum denique virorum doctorum nec ea qua par erat religione in excutiendis subsidiis usum, nec in colligendis quidem scripturae discriminibus sat accurate versatum animadverteram. Malebant enim homines

praestantissimi, Beatus Rhenanus, Valens Acidalius, Justus Lipsius, Curtius Pichena, Jo. Aug Ernestius, Tacitum nobis exhibere lectu in quantum fieri posset facillimum, quam genuinam summi auctoris manum restituere. Nihil igitur mirum, haud pauca sine ulla interpolationis suspicione in operibus Cornelianis haerere, quae, casu quodam vel errore typothetae illata, per longam editionum seriem propagata, Tacitum mentiantur: vulnera inveterata, auctoribus suis tandem aliquando remittenda.

Sedulo igitur excerpsi, quodcunque editionum veterum erat ad manus, a decessoribus meis aut negligentius inspectum, aut plane ignoratum: quae subsidia, qualia fuerint, infra indicabo. Varietati lectionis, ex ipsis fontibus ita conquisitae, ea, quae ab editoribus prioribus e libris, cum manu exaratis, tum impressis, enotata videbam, addidi omnia. Farraginem ipsam, multo certe auctiorem pleniorem que, suffeci in locum notularum Bredovii criticarum, quas nemini desideratum iri confido, eamque textui, ex his copiis saepius reficto, subjeci.

Contra, observationes, historica potissimum et geographica illustrantes, quas Bredovius ad calcem libelli reposuerat, nihil mutatas repetendas curavi: non-

nulla, prout erant in promptu, interserui ipse; circumsepsi tamen cancellis, ne, si quid commiserit superstes, plecteretur defunctus.

Haec de iteratae editionis ratione ac consilio praemittenda excipiat jam notitia librorum et ab aliis, et a me ipso primum adhibitorum.

Ac codices quidem manu scriptos, in terris nostris rarissimos, inspicere mihi non contigit: octo ab editoribus memoratos, passimque ad consilium vocatos novi: sunt vero hi:

Arundelianus in bibliotheca Oxoniensi asservatus, cujus excerpta dedit Abr. Gronovius, haud diversus ab eo, quem sub nomine Bilibaldi Pirckheimeri laudare solebant priores. v. Ernest. praef. p. XXV. Pronus semper in deteriora, nonnullis tamen locis salutem attulit certissimam, pluribus fortasse allaturus, si paulo diligentius fuisset excussus. Saepissime enim in locis perquam dubiis, ut reliquorum, ita hujus quoque codicis testimonio caremus: et quod ea, quae inde prolata sunt, minus certa reddere videtur, dissentiunt interdum viri eruditi de ipsa libri scriptura. Ita cap. 3. init. Barditum se legisse testatur Abr. Gronovius. Sed jam video Petrum Burmannum Secundum ad

Anthol. Lat. 5, 145. T. 2. p. 440. longe aliud quid ex eodem fonte afferentem: Blandicum, scripturam vitiosam quidem, sed ob id ipsum procul dubio in codice repertam. Addo jam, quod in Var. lect. monere oblitus eram, lectionem, quam protuli sub fine cap. 2. ex editione Viennensi, mox ET a se ipsis, eam in libro quoque Arundeliano, cujus frequentior cum Viennensi consensus, exstare.

Bambergensis, recenti manu scriptus, a Francisco Modio Justi Lipsii causa comparatus, vix ea, qua hodie solemus, diligentia. Quod affirmat Ernestius, praef. p. XXIII. Modium nihil nisi paucas quasdam e libello de Germania plagulas reperisse, satis redarguit eventus. Specimina enim scripturae, ab initio opusculi incipientia, ad caput usque 43. modicis progrediuntur intervallis; nec reliqua defuisse putem: nam pariter cap. 6 — 10. 20 — 22. 39 — 41. nihil enotavit Modius: nisi omnia haec loca incidisse in lacunas arbitrere.

Farnesianus, cujus copia facta erat Justo Lipsio, optimae, quantum quidem e paucissimis speciminibus colligere fas est, notae, quum sexies tantum mentio ejus injiciatur Lipsio, homini praeclari quidem, sed turbulenti et novarum rerum cupidi ingenii. Fortasse tamen licebit, ea quoque loca de codice hoc Far-

nesiano accipere, ubi simpliciter de libro quodam scripto sive de libro vetere loquitur. v. p. 20. 21. 33. 52. 53. 64. 68. huius edit. Fueritne idem, ex quo centenis aliquot locis Dialogum de Oratoribus emendasse se profitetur idem Lipsius, ut incompertum in medium relinquendum est.

Hummelianus, chartaceus, quaternarios complectens XIV, non multum supra typographiae natales ascendens, a possessore, Bernardo Friderico Hummelio, rectore quondam Altdorfino, cum Paulo Dan. Longolio communicatus, et quod sero, textu hujus editionis typis iam absoluto, compendio ab ipso Hummelio in Bibliotheca sua librorum rarorum rariorumque, Norimb. 1776. T. 1, 2. p. 212. sq. accurate descriptus partimque excerptus. Sed si comparaveris inter se lectiones ab Hummelio et Longolio enotatas, statim animadvertes, neutrum negotio suscepto rite functum esse. Quum jam non liceat, ea quae a Longolio praetermissa publicavit Hummelius suo quaeque loco inserere, nunc certe suppleantur, ne diutius delitescant in latebris, ubi editorum adhuc omnium oculos effugerunt.

cap. 1. extr. erumpat. cum Nor. Vienn. Rhen.

2. nisi SIBI patria sit. scriptura praeterea non obvia.

5. propitiine. cum Nor. et Vienn.

6. coloribus distinguuntur. scriptura nova nec spernenda.

ita cuncto orbe.

7. extr. exigere. cum optimis libris.

10. init. super candidam vestem tenent ac f. sp. Lectio memorabilis: Hummelio vera visa est.

14. init. superstite principe suo.

19. maritum invenerit, quod optimi testes agnoscunt.

20. extr. gratior. cum Put. Mon. Vienn. probatum Hummelio.

30. animis vi...r. haud male.

36. Fracti ruina. Longolius contra enotavit: Tracti ruina. utrumque rejiciendum.

37. extr. pulsi NAM prox. temp.

38. in ipso solo vertice. sententiam meam confirmat.

39. init. vetustissimos seu nobilissimos Suev.

40. init. Contra Langobardos paucitas nobilitat. Plurimis ac val. —

43. insitae feritatis.

extr. regnant cum ceteris.

45. extr. finis, cum Put. Mon. Vienn. Rhen.

46. fingunt, et sub finem: opus esset.

Longolianus; ipsius Longolii, et post ejus obitum Jo. Kappii, Baruthini, chartaceus, mutilus, finem cap. 8. usque ad cap 43. continens, post inventam artem typographicam, et ut mihi quidem videtur, ex editione Norimbergensi, de qua infra dicetur, descriptus: hinc nullius fere pretii, diligentius tamen ceteris omnibus collatus.

Turicensis, chartaceus, a Petro de Numagen, Trevirensi, Capellano S. Leonardi prope Thuregum, sub finem saeculi XV scriptus, in Ernestii usus comparatus ab J. I. Breitingero, etsi satis recens, optimis tamen libris accensendus. Sed in summa, qua Ernestium in Tacito recensendo incuria usum esse constat, verendum est, ut omnes sibi a Breitingero missas lectiones deliter asservatas nobis tansmiserit. Codicem enim nondum esse exhaustum, abunde docet comparatio ipsa, cujus negligentiae crimen in Ernestium potius, alias quoque pari fide versatum, quam in Breitingerum, virum accuratissimum, conjiciendum videtur.

Vaticani duo, recentissimi, e saeculo XIV. aut XV. v. Ernest. praef. p. LV. Bibl. Latin. T. 2. p. 400. Adhibuit utrumque Gabriel Broterius, sed si Ernestio et Oberlino fides habenda est, non nisi quinque locis: ipsam enim editionem Broterianam frustra quaesivi. De

pretio eorum in haec tanta speciminum penuria nihil ausim definire.

Qui praeterea, sed rarissime, laudantur libri, codex Rhenani, p. 28. libri veteres Pichenae, p. 67. liber vetus Isaaci Vossii, p. 75. 76. codex vetus Groslotii, p. 30. 35. 49. 53. 67. 48. codices quidam Longolii, p. 37. et Bredovii, p. 26. 70, nec quinam fuerint, nec fuerintne revera, habeo dicere. Nolui certe quicquam tribuere testibus fidei adeo sublestae. De codice Mirandulano, semel p. 35. laudato, a personato quodam Pompejo Lampugnano, Marquardo fortasse Frehero, prolato, dixit Ernestius. praef. p. XXII.

Apparet igitur, codices omnes, quotquot novimus, aetate sua parum commendari: vetustissimi enim lectionis Cornelianae fontes, Budensis et Florentinus uterque, Germaniam non complectuntur, semper ut videtur separatim descriptam. Parcior quoque, si unum excipias Longolium, iis tribuenda laus est, quibus fortuna benignior libros manu scriptos in usus suos convertendos concesserat. Horum igitur subsidiorum ab integro examinandorum onus prius erit subeundum, quam novam certamque Germaniae nostrae lucem affulsuram esse speres. Quod utinam ne in longius aevum protrahatur.

Pauca de editionibus memorare restat. Spirensem, haud dubie principem, omnia Taciti opera complexam, nunquam vidi. Possidebat eam Ernestius, v. praef. p. XXIX. qui nonnulla inde delibavit, justae comparationis desiderium tantum excitaturus, haud impleturus. Quam secundo loco laudavit Ernestius, praef. p. XXXV. editionem Francisci Puteolani, Venet. 1497. forma majori emissam, eosdemque quos Spirensis libros exhibentem, praebuit mihi Bibliotheca Regia Vratislaviensis: descripsit eam Seemillerus, Incunab. bibl. Ingolst. T. 1. p. 158. Multa ab Ernestio praetermissa nunc enotata invenies: exquisitiora non suppeditat. Puteolanum expressit liber parum cognitus, Germaniam tantum continens, cujus hic est index:

> Cornelii Taciti illustrissimi hystorici de situ, moribus et populis Germanie aureus libellus.

et ad calcem:

> Impressum est hoc Cor. Taciti aureum opusculum Lips in aedibus Wolfgangi Monacensis. Anno domini MDII.

folia XVIII. quaternaria. v. descriptionem Panzeri, Annal. Typogr. T. 7. p. 143, 55. T. 9. p. 481, 55. Primus adhibui libellum, exiguae tamen utilitatis. Nam quoties recedit a Puteolano, peccat. Totam vero varietatem dedi, ne

ullum de editionis natura et indole dubium resideret. Suppeditaverat bibl. Reg. Vrat.

* Longe praestat editio sine loco et anno, solam item Germaniam exhibens, quam Norimbergensem dixi. Produnt enim characteres satis luculenti officinam Friderici Creussneri, qui circa annum MDLXXXIV artem typographicam Norimbergae magna cum laude exercuit. Habebant hunc libellum, foliis majoris formae XI absolutum, Ernestius, Longolius et Oberlinus, habuerat jam Rhenanus: haud pauca tamen mihi primum enotanda reliquerunt, nec sane inutilia. Rhenano, cui ab Artholpho medico communicatus erat, codex Artholphi dicitur; Ernestio, qui eum a Jo. E. Kappio Lipsiensi acceperat, codex Kappii, unde tandem manuscriptum Kappianum effecerunt errrores Jo. Kappii Baruthini et Bredovii. Egerunt de praeclaro hoc typographiae monumento Seemiller. T. 2. p. 151. Panzer histor. typogr. Norimb. p. 176, 326. et Annal. typogr. T. 2. p. 239, 369. Denis Annal. typogr. supplem. T. 2. p. 673, 5985. et omnium accuratissime Oberlin. praef. p. LIX. Bis exstat in bibl. Reg. Vratisl.

Eadem vero bibliotheca aliam asservat editionem valde memorabilem, cognitam paucis, excussam mihi primo: ita est inscripta:

Cornelii Taciti veridici historici de situ Germanie et incolarum ut secla olim ferebant moribus libellus lectu dignissimus. Conradi Celtis Protucii poete fragmenta quedam de iisdem scitu admodum utilia. Omnibus diligenter revisis et castigatis.

In fine vero leguntur haec:

Impressum est hoc opusculum accurata diligentia Joannis Singrevii Chalcographi. Vienne Pannonie mense Januarii MDXV.

Pagina postrema ostendit insigne quoddam ligno incisum, addito nomine Leonardus Alantse. Plagulis XXII formae quaternariae minoris quae titulus indicat complectitur, nitide impressa. Brevem descriptionem dedit Panzer, Annal. Typogr. T. 9. p. 24, 129. pleniorem Gebauerus, Vestigia juris German. p. 920. Lectiones nunc cum Norimbergensi, nunc cum Puteolano consentiunt, rarius cum Bambergensi, interdum huic editioni sunt propriae. Excellit vero inter omnes novis et praeclaris verborum distinctionibus, ita ut aliquoties conjecturas virorum doctorum asserat, aliquoties prima veram locorum rationem ostendat.

Hanc et Norimbergensem e codicibus iisque sat bonis fluxisse arbitrer, quum praeterea libellus de Ger-

mania in manuscriptis separatim comparere soleat. Idem fortasse judicandum erit de editione Parisina, insignis raritatis nec inutilis ad restituendum Taciti textum. Adhaeret Annio Viterbiensi, prodiitque Parhisiis apud collegium Plesseiacum. VI. non. Majas. MDX. forma quaterna, una cum carminibus Conr. Celtis. Decem folia implet Germania. Praefationem ad Philibertum Baboum barbarice scriptam praefixit Godofredus Torinus. v. Catal. Biblioth. anonym. Hag. T. 2. p. 256. Panzer Annal. typogr. T. 9. p. 111, 50. et imprimis Hummelii bibl. lib. rar. T. 3, 9. p. 94. Idem vir diligentissimus e capitibus XVIII prioribus nonnullas excerpsit scripturae discrepantias, quas hic enotare, quam omnino praetermittere malui.

cap. 2. init. aliarum gentium adventu.

terra editum. CVI filium Mannum —

quidam ut in licent. vet. quod e Vaticano utroque et Norimb. in textum recepi.

cap. 3. accensus animus.

Astiburgiumque. lectio nova et satis memorabilis.

cap. 4. magna opera et t. ad imp. v.

cap. 3. vatis ferax.

principibus numeri data.

quanquam proximo Oceano ob usum comm. vulgatae praefert Hummel.

cap. 6. scuta tamen lect. col. dist.

uno fluxu d. ag.

cap. 7. exigere plagas. unanimi omnium consensu.

cap. 9. huius quoque hostiis.

quod solum reverentia vid.

cap. 10. utique maxime obs.

cum electo populorum suorum.

cap. 11. nec ut jussi conveniunt. quod mihi aliorum quoque auctoritate praeferendum visum est. Conjectura assequutus erat Lipsius; accedebat cod. Hummel. Debetur textui.

absumitur, ut turbae placuit. Considunt — Hummelio probante.

quibus tamen et coerc. j. cum cod. Long. et Nor.

prout deus bellorum.

cap. 15. ipsi habitant m. d. n.

cap. 18. ipsis incipientibus matrimonium auspiciis.

Tantum Hummelius: in his plurima sunt nova, nonnulla satis probabilia, ita ut jure doleas de intempestiva Hummelii brevitate. Editoribus enim ne innotuit quidem liber minime vulgaris, deque Tacito abhinc bene promerituris ipsa Spirensi studiosius quaerendus comparandusque.

Editionem Romanam, ubi dissentiret a Norimbergensi, quod rarissime accidit, fide Oberlini, Gryphianam Ernestii, Rhagianam Longolii laudavi. Multum operae editionibus nec codicum ope adornatis, nec acumine editorum conspicuis insumere nolui, quamvis probe scirem, variarum lectionum numerum ex his, inprimis e Dithmarianis, mirum quantum posse augeri. Sed talia nihil moror. Editiones Puteolani, Rhenani Basileensem, et Aldi, Norimbergensem, Monacensem ac Viennensem tam accurate excerpere mihi proposueram, ut posterioribus ab hac parte nihil relinqueretur. Quam facile in talibus fallimur, brevis experientia me docuit; capiti enim quinto iam nunc addendam habeo genuinam Rhenani scripturam: v i r t u t i s c o n c e n t u s v i d e t u r, Oberlino turpiter laceratam. Capite sexto, lectioni vitiosae: v a r i e t a t e, tam egregii sponsores patrocinantur, ut inclinem in facillimam vocabuli mutationem: v a r i e g a r e. Capite denique decimo quarto, t u e a r e etiam in Norimb. legitur. Qui praetermissorum indiculus si ab aliis augebitur, haud aegre feram. Vix enim quicquam gratius mihi poterit accidere, quam si plurimi, his vestigiis insistentes, eadem, quam nunc monstrasse sufficiat, via meliori successu ultra progredientur. Sin minus, libellus jam profligandus pro pignore accipiatur futurae editionis majoris moduli meliusque praeparatae. Scr. Vratisl. d. 15. Apr. 1817.

C. Cornelius Tacitus

de

situ, moribus et populis Germaniae.

I.

Germania omnis a Gallis Rhaetisque et Pannoniis Rheno et Danubio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur. Cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus, Rhaeticarum Al-

I. Fines Germaniae. Oceanus, Rhenus et Danubius.

a Gallis Rhaetisque.) Rhaetiisque. Libri manuscripti, si Ernestio fides habenda, omnes. Norimb. Puteol. Mon. Rhen. Rhaetisque, quod ex conj. Broterii restituerant Ern. Oberl. Bred., reperi in edit. Vienn. a Galliis Lipsius et nuperrimus editor, Jo. Dit. Godofr. Seebodius.

Cetera.) Ceteram. Mon. Bredovius constanter caeteri, caetera etc. perperam.

insularum.) excidit apud Oberl.

Alpium inaccesso ac praecipiti vertice ortus, modico flexu in occidentem versus septentrionali Oceano miscetur. Danubius, molli et clementer edito montis Arnobae iugo effusus, plures populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpit. septimum enim os paludibus hauritur.

II.

Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos: quia nec terra olim, sed classibus advehebantur, qui mutare sedes quaerebant; et immensus ultra, utque sic dixerim, adversus Oceanus raris ab Orbe nostro navibus aditur. Quis porro, praeter periculum horridi et ignoti maris, Asia, aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret, informem terris, as-

versus) omisit Mon. Ceterum cum Nor. Put. Vienn. distinctionem post versus delevi: malui enim hunc locum iis accensere, ubi versus est participium, quam cum Ernestio de abundantia quadam eleganti cogitare. v. Duker. ad Liv. 38, 51.

Arnobae.) Ita editiones saec. XV omnes, praeter Spirens. et Put., in quibus Arbonae, litteris transpositis. Cod. Arund. Arnibae, Bamberg. Anribae. Lectio, quae inde ab Rhenano libros impressos occupavit, Abnobae, debetur Hermolao Barbaro. Addiderunt fidem marmora duo in Silva nigra reperta. In utroque liquido comparet nomen Dianae Abnobae. In textu tamen quicquam mutare dubitavi, quum nec apud Plin. Hist. nat. 4, 24. lectio recepta satis sit certa.

erumpit.) erumpat. Nor. Vienn. Rhenan. post eum omnes ante Pichen. Seebod. Latine, sed contra usum Taciti. v. Germ. 37. 45. Agric. 36.

enim.) omisit Nor.

II. Germani cur indigenae putandi sint. Conditores gentis. Vera antiquissimarum nationum nomina. Germaniae vocabulum recentius unde ortum.

asperam coelo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit? Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriae et annalium genus est, Tuisconem, Deum terra editum, et filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno tres filios assignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingaevones, medii Herminones, ceteri Istaevones vocentur. Quidam, ut in licentia vetustatis, plures Deo ortos pluresque gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Suevos, Ve-

aspectuque.) adspectuque editt. recent., qui in restituendis his archaismis operam frustra consumpserunt, ita ut nec sibimet ipsi satis constarent: dedit Bred. Cap. 5. afficiuntur, sed statim post adfectione. cap. 36. illacessiti, sed 46. inlaborare. cap. 1. septentrionem, sed 35. septemtrionem, quae pluribus exemplis possint augeri. Tacitum talibus inhiasse, nihil nobis fidem praestat: repugnant editiones vetustiores. Revocavi igitur ubique scripturam vulgarem, ita ut unum tantum adsunt, cap. 12. servaverim. Assum nemo unquam scripsisse videtur nisi Plaut. Poenul. 1, 2, 67. sed in faceto verborum lusu.

genus est.) genus sit. Put. Mon. Seebodius verbum substantivum uncinis inclusit: omisit cod. Turic.

Tuisconem.) Cod. Turic. Nor. Mon. Vienn. e recentioribus Ern. Oberl. Tuistonem. Spirens. Put. Rhen. Thuistonem. Bip. Bred. Seeb. Ut in re incertissima antiquissimos testes sequutus sum, praecipue quum edit. Spir. mox cap. 3. simili errore stutis exhibeat pro scutis.

Deum terra editum.) Editt. vetust. quotquot inspexi omnes. Tuisconem Deum, terra editum, Oberl. Seeb.

et filium.) ei fil. Nor. quod conjecerat Gebauerus, Vestig. jur. Germ. p. 926.

Herminones) rescripsi cum Put. Vienn. Rhenan. Ald. Traxerunt nomen ab Hermanno, Manni f. Herminones quam facile potuerint corrumpi in Hermiones, quod editiones rec. fere omnes repraesentant, nemo non videt. Scripturam librorum et ed. princ. non annotarunt

ut in licentia) Codd. Vatic. duo. Nor. autem licentia editt. rel.

Vandalos affirmant: eaque vera et antiqua nomina. Ceterum Germaniae vocabulum recens, et nuper additum: quoniam, qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint. Ita nationis nomen, non gentis evaluisse paulatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox a se ipsis invento nomine Germani vocarentur.

III.

Fuisse apud eos et Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium, ituri in proelia, canunt. Sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem Barditum vocant, accendunt animos, fu-

Vandalos.) Cod Arundel. Put. Mon. Vienn. non vetante Ernestio. Vandilios. Nor. Vandalios, recentiores omnes, auctoritate Harduini ad Plin. Hist. nat. 4, 28. Vindelicos vir quidam doctus, qui exemplari ed. Vienn. quo usus sum, varias observationes ascripsit. Paulo ante: Deo ortos, mutavit in: de eo ortos, quod Bipontinis quoque venit in mentem.

qui primi Rhenum transgr.) qui primi enim Rh. et transgr. Nor.

ac nunc Tungri, tunc —.) Cod. Bamb. Turic. Spirens. prob. Pichena, Lips., Bred. ac tunc-nunc. Nor. nunc-nunc, omisso ac, Rhenan. Ald. Longol. Seeb. ac, nunc Tungri, tunc- Oberl. Bipontinos sequutus.

sint.) sunt. Nor. Rhenan.

Ita nationis — vocarentur.) Restitui antiquam et unice veram omnium librorum lectionem. v. not.

mox a se ipsis.) mox et a se ipsis. Vienn.

III. Hercules apud Germanos. Auspicantur proelia a carminibus. Barditus sive Baritus. Ulixes in Germaniam delatus. Asciburgium. Monumenta Graecorum apud Germanos.

Barditum.) Cod. Farnes. Arund. Nor. receptum a Bred: et Seeb. Rectius fortasse, quod in reliquis ed. vett. legitur, Baritum. Oberl. Barritum, ita scribentibus Vegetio. 3, 18. et Ammiano Marcell. 16, 30. 26, 7. 31, 7. quibus nihil efficitur.

accendunt.) accedunt. Oberl.

futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur. terrent enim trepidantve, prout sonuit, acies; nec tam voces illae, quam virtutis concentus videntur. Affectatur praecipue asperitas soni et fractum murmur, obiectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat. Ceterum et Ulixem quidam opinantur longo illo et fabuloso errore in hunc Oceanum delatum, adisse Germaniae terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodie incolitur, ab illo constitutum nominatumque, ... aram quin etiam Ulixi consecratam, adiecto Laertae patris nomine, eodem loco olim repertam, monumentaque et tumulos quosdam, Graecis litteris inscriptos, in confinio Germaniae Rhaetiaeque adhuc exstare. Quae neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem.

IV.

prout sonuit, acies.) sc. terrent trepidantve. Post sonuit distinxi cum Aldo.

nec tam voces illae, quam virtutis concentus videntur.) Cod. Turic. Spirens. Nor. Put. Vienn. Rhenan. prior. In Nor. tamen ille scribitur. Emendavit postea Rhenan. vocis ille, ut nunc legitur ap. Oberl. Bred. et recent. plurimos. Seebodius primus ad veram librorum lectionem rediit. — mentis conc. Cod. Arund. Bamb. — Bredovius denique videatur: errore fortasse typographi.

adisse.) adiisse. Mon.

Asciburgium.) Ascipurgium. Vienn.

hodie.) Cod. Turic. Spir. Put. Mon. et nuper Seeb. hodieque, Nor. Vienn. Rhen. Ald. Oberl. Bred.

nominatumque.) Addit cod. Arund. ἀςυτεάγιον, unde Rhenan. ἀςυπύργιον exsculpsit. Lipsius: ἀσκ πύργιον. Norimb: Acriniprion. Puteol. lacunae indicium fecit, quod recentiorum plerique oblitterarunt, in his Oberl. et Bred. Antiquum Asciburgii nomen, a librariis corruptum, postea excidisse videtur: quod quale fuerit, quum jam pro certo affirmari nequeat, Puteolani exemplum sequutus sum.

monumentaque.) monimentaque. Nor.

IV.

Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germaniae populos, nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos, propriam et sinceram et tantum sui similem gentem exstitisse arbitrantur, unde habitus quoque corporum, quanquam in tanto hominum numero, idem: omnibus truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora et tantum ad impetum valida: laboris atque operum non eadem patientia: minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inediam coelo solove assueverunt.

V.

Terra, etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida, aut paludibus foeda: humidior, qua Gallias; ventosior, qua Noricum ac Pannoniam aspicit; satis ferax, frugiferarum arbo- rum

IV. Germani gens propria et sincera: inde idem omnibus corporis habitus.

quanquam.) vulgo quamquam. Ubique rescripsi Quanquam, nunquam, quenquam, tanquam: quicquam, quicquid: quandam, quondam, quorundam: eundem: duntaxat: sed quemque, utrimque, idque. Alia rursus est ratio in quemcunque cap. 21. ubi vulgo male quemcumque, et quaecunque. cap. 40. Ubique fere in ed. vett. reperi, quod in textum recepi.

idem: omnibus —) Rhenanus primus distinxit post omnibus, tacite assentientibus, qui Tacitum post eum ediderunt. Revocavi distinctionem, quam in edit. ante Rhenanum, Nor. Put. Mon. Vienn., deprehendi, certiorem melioremque.

magna corpora —) Cod Arund. Bamb. corpora tantum impetu valida.

frigora.) frigora vero. Vienn.

assueverunt.) assueverint. Nor.

V. Descriptio terrae. Armenta et pecora solae Germanorum opes: aurum argentumque in exiguo pretio. Commercium per permutationem. Quibusdam tamen pecuniae Romanae generibus utuntur.

rum impatiens; pecorum fecunda, sed plerumque improcera: ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis. numero gaudent, eaeque solae et gratissimae opes sunt. — Argentum et aurum propitii an irati Dii negaverint, dubito. Nec tamen affirmaverim, nullam Germaniae venam argentum aurumve gignere. quis enim scrutatus est? Possessione et usu haud proinde afficiuntur. Est videre apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia vilitate, quam quae humo finguntur. quanquam proximi, ob usum commerciorum, aurum et ar-

plerumque.) Ita libri mss. et impr. Lipsius e conj. pleraque, quod Bred. receperat. Germaniam improceram pecorum dicit, ut quae pecorum proceritate non gaudeat: genus structurae, ut Graecis longe usitatissimum, ita nec Tacito insolitum. incuriosus famae, discriminis. Histor. 1., 49. 3, 56. improvidus futuri. Hist. 1, 88. immodicus laetitiae. Annal. 15, 23. impiger militiae. Hist. 1., 87. cf. Schaeferi Melet. crit. p. 137. sq.

eaeque solae et grat.) eaque. Mon. haud male. solae his grat. Vienn.

propitii.) propitiine. Nor. Vienn. minus exquisite encliticam in oppositione omittunt optimi scriptores. Heusing. ad Cic. Offic. 1, 9. extr. ad Divers. 11., 28.

proinde,) quod librorum ante Rhenanum omnium consensu firmatur, mutare nolui. Ernestius, ut solet, hic et Annal. 12, 60. Histor. 1., 30. perinde invexit, nec recentiorum quisquam repugnare ausus est. Satis tuetur librorum lectionem ingens locorum numerus, ubi proinde idem valeat, quod perinde. Quae si omnia velis corrigere, abstinebis tamen manus emendatrices a talibus, quales hi sunt versus Lucretii. 4, 652. et 3, 1066.

proinde ac seminibus distant, variantque figura.

si possent homines proinde ac sentire videntur.

cf. Cortius ad Sallust. Catil. 12, 5. Schwarz. ad Tursellin. de partic. p. 628. Ruhnken. ad Rutil. Lu p. p. 31. G. L. Walchius, Emendatt. Livian. p. 31. Gorenz ad Cic. de legg. 2, 19 p. 179.

afficiuntur.) efficiuntur. Mon.

vilitate.) utilitate, quod Lipsius edidit, Ern. e priori Rhenan. enotavit, praebet jam Vienn.

argentum in pretio habent. formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt: interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem et diu notam, Serratos Bigatosque. Argentum quoque magis, quam aurum sequuntur, nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac vilia mercantibus.

VI.

Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis aut maioribus lanceis utuntur, hastas, vel ipsorum vocabulo Frameas, gerunt, angusto et brevi ferro, sed ita acri et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus, vel eminus pugnent. et eques quidem scuto Frameaque contentus est: pedites et missilia spargunt, plura singuli, atque in immensum vibrant, nu-

argentum quoque.) quoque omisit Nor.
affectione.) affectatione. Nor. Rhenan. omnes ante Lips. Revocavit Seebodius. Legitur sane affectatio, cap. 28, loco non plane dissimili: attamen haec ipsa comparatio, accurate instituta, optime docebit, nihil hic esse novandum.

VI. Ferri penuria: hinc armorum genera. Frameae. Scuta coloribus distincta. Equi nec forma conspicui, nec veloces. Major in pedite vis. Omnis juventus militat. Centeni. Acies per cuneos composita. Corpora caesorum e proeliis referunt. Scutum reliquisse ignominiosum.

plura singuli.) Cod. Turic. Spir. Put. Mon. Vienn. et post Ern. omnes. pluraque sing. Nor. Rhen. unde in plures editt. fluxit. Equites Framea utuntur una; pedites missilibus, pluribus singuli: copulae igitur in hac oppositione ne locus quidem.

vibrant.) Majorem distinctionem post vibrant recte sustulerunt Bip. Oberl. Bred. praeeuntibus Nor. et Vienn. Additur enim causa missilium in immensum vibratorum, levior horum peditum amictus, qualis λινοθωρήκων illorum in Il ad. 2, 530.

nudi aut sagulo leves. Nulla cultus iactatio: scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt. paucis loricae: vix uni alterive cassis aut galea. Equi non forma, non velocitate conspicui. sed nec variare gyros in morem nostrum docentur: in rectum, aut uno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe, ut nemo posterior sit. In universum aestimanti, plus penes peditem roboris: eoque mixti proeliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuventute delectos ante aciem locant. Definitur et numerus: centeni ex singulis pagis sunt: idque ipsum inter suos vocantur: et quod primo numerus fuit, iam nomen et honor est. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. Corpora suorum etiam in dubiis proeliis referunt. Scutum reliquisse praecipuum flagitium, nec aut sacris adesse, aut

galea.) quod Rhenan. ex ingenio restituit, praebet cod. Turic. galea edit. ante Rhenan. omnes.

variare.) Put. Mon. Vienn. Rhenan. recent. omnes. varietate cod. Turic. Spir. Nor.

definitur.) diffinitur. Put. Mon.

centeni.) centim. Nor.

consilii.) magis consilii. unus Mon. satis inepte. pacem quam bellum probabam Annal. 1, 58. miseratio quam invidia augebatur. Ann. 3, 17. ne memoriam nostri per moerorem quam laeti retineatis. Ann. 5, 6. quibus addendus Cortius ad Sall. Catil 8, 1. Burm. ad Vellej. 2, 129. Nubem exemplorum e script. Graecis certatim congesserunt Valcken. ad Herodot. 3, 40. Bast. Epist. crit. ad Boissonn. p. 186. Jacobs ad Anthol. T. 1, 1. p. 117. T. 2, 1. p. 69. Herm. ad Viger. p. 884. sq. Schaefer. ad Lamb. Bos. ell. p. 770. Seidler ad Eurip. El. 395. Alia tamen huius structurae est ratio: quanto inopina, tanto majora. Ann. 1. 68. cf. 1, 52. 57. 3, 5. 4; 61. nec haec contra consuetudinem Graecorum, v. Wernsd. ad Himer. orat 15., 1. p. 674. Diversa miscuit Ernestius.

aut concilium inire, iguominioso fas: multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt.

VII.

Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Nec regibus infinita aut libera potestas; et duces, exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt. Ceterum neque animadvertere, neque vincire, nec verberare quidem, nisi sacerdotibus permissum: non qua-

concilium.) consilium. Nor.

VII. Potestas regum, ducum, sacerdotum. Signorum sacrorum in proeliis usus. Acies secundum familias et propinquitates compositae: mulieres et infantes in proximo. Feminae et animos et corpora pugnantium reficiunt.

infinita aut libera.) Nor. Rhenan. rec. omn. inf. ac lib. Spir. Put. Mon. Vienn. Rhen. prior. longe deterius. Hoc quoque loco scripturam codicum enotare neglexerunt, quibus inspexisse contigerat.

imperio.) Majorem distinctionem, quam post imperio posuerat Ern., propagaverat Oberl., jure delevit Bredovius. Cum Ernestio errare maluit Seeb. Duces, exemplo magis quam imperio duces, admiratione praesunt: non enim monendum erat, Germanos promptum, conspicuum, strenuum admirari.

praesunt.) sunt. Mon.

nec verberare quidem.) Libri praeter Arundel. omnes. ne verb. quid. Arund. recepit Jo. Frid. Gronov. post quem remansit in editt. Insigni infortunio usa est haec verborum structura: nec - quidem, quam utpote barbaram ubique exstirparunt viri praestantissimi, in his Drakenb. ad Liv. 1, 10. Ernest. ad Annal. 4, 35. Histor. 2, 76. Schwarz ad Tursellin. de part. p. 444. Facciol. ad Cic. Offic. 3, 4. Civitate redonarunt Jo. Henr. Vossius ad Virg. Georg. 1, 390. Goerenz ad Cic. Acad. 2, 82. Heinrich. ad Cic. orat. pro Tullo. p. 80. Bene de hujus loci scriptura sensuque egerunt Gebauer. Vestig. jur. Germ. p. 608. et praestantissimus Germaniae nostrae interpres, Justus Moeserus, Histor. Osnabrug. T. 1. p. 23. 45.

quasi in poenam, nec ducis iussu, sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt. effigiesque et signa quaedam, detracta lucis, in proelium ferunt. Quodque praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates. et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium. Hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad coniuges vulnera ferunt: nec illae numerare aut exigere plagas pavent. cibosque et hortamina pugnantibus gestant.

VIII.

Memoriae proditur, quasdam acies, inclinatas iam et labantes, a feminis restitutas constantia precum

imperante.) inspirante. Arundel. Lectio memorabilis.

in proximo.) in proxima. ed. Seebod. lapsu puto formarum.

feminarum ululatus.) ululatus feminarum. Put. Mon. Vienn.

ad conjuges.) et conj. Nor.

illae) ille. Nor. Mon.

aut exigere.) ita Cod. Arund. Nor. Rhen. rec omn. Et recte quidem: cap. 8. NEC AVT consilia eorum aspernantur, AVT responsa negligunt. Annal. 3, 54. quas (offensiones) quum graves et plerumque iniquas pro Republica suscipiam, inanes et irritas NEQVE mihi AVT vobis usui futuras, jure deprecor. 13, 59. NEQVE paci AVT proelio paratum. Germ. 6. NEC AVT sacris adesse, AVT concilium inire ignomioso fas. Quod praebent cod. Turic. Spir. Put. Mon. Vienn. nec exig. male sedulae correctoris manus redolet.

exigere.) exsugere, conj. Rhenani, plures editiones invasit, furcillis ejicienda, etiamsi reperiatur in cod. Arund. quod obscura Ernestii verba innuere videntur. Locum egregie illustrat Jo. Frid. Gronov. Observatt. 1, 8. p. 60. sq.

pugnantibus.) bellantibus. Vienn.

VIII. Acies a mulieribus restitutae. Hae efficacissimum obsidum genus. Mulieres fatidicae: Veleda, Aurinia: earum auctoritas.

cum et obiectu pectorum et monstrata cominus captivitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent: adeo, ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur. Inesse quin etiam sanctum aliquid et providum putant; nec aut consilia earum aspernantur, aut responsa negligunt. Vidimus sub Divo Vespasiano Veledam, diu apud plerosque numinis loco habitam. sed et olim Auriniam et complures alias venerati sunt; non adulatione, nec tanquam facerent Deas.

IX.

Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem ac Martem concessis animalibus placant.

lo-

impatientius.) impatientibus. Mon.

Veledam.) Edit. quas adhibui vett. Velledam. Nec Statii me movisset auctoritas, Sylv. 1, 4, 90.

captivaeque preces Veledae,

aut Dionis Cass. 67, 5. Γαῦνα παρθένος μετὰ τὴν Βελῆδαν ἐν τῇ Κελτικῇ θειάζουσα, quum alter quoque alteri in mensura syllabae mediae repugnet: nisi scriptura nostra, inde a Ryckio omnium consensu approbata, in Histor. 4, 61. ipsa codd. Flor. Bud. et Agr. auctoritate confirmaretur. Lectionem ed. Spir. Ernestius enotare neglexit.

Auriniam.) Unus cod. Farnes. Fluriniam, quod Lipsio infelicis conjecturae occasionem dedit, Aluriniam: quidni Alruniam? Lipsium temere sequutus est editor nuperrimus. Difficile mihi quidem videtur, in lect. Farnes. aliud quid deprehendisse, quam in initio tantum vocabuli leviter depravatam reliquorum librorum scripturam.

IX. Mercurius in summo apud Germanos honore: hostiae humanae. Hercules et Mars Germanorum, Isis Suevorum. Luci ac nemora pro templis. Imagines Deorum nullae.

ac Martem.) et Mart. - Nor. Vienn.

concessis.) concisis. Vienn.

Pars Suevorum et Isidi sacrificat. Unde causa et origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum, in modum Liburnae figuratum, docet advectam religionem. Ceterum nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine Coelestium arbitrantur. lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.

X.

sacrificat.) sacrificant. Vienn. quod in pluribus libris lectum velim.

advectam.) Nor. Rhen. rec. omn. sine dubio recte. Spir. Put. Mon. Vienn. adjectam.

assimilare.) Huic vocabulo, alteram formam assimulare substituentes, criticorum plurimi iique gravissimi jam dudum bellum indixerunt: Jo. Frid. Gronov. Diatr. in Stat. silv. 1, 1, 100. p. 72. ed. Lips. Burmann. ad Ovid, Metam. 5, 158. Ernest. ad nostrum Germ. locum, ad Agric. 10. et ad Annal. 4, 8. idem ad Cic. de invent. rhet. 1, 28. Burmann. Sec. ad Anthol. Lat. T. 1. p. 606. Spalding ad Quinctil. instit. rhet. 7, 10, 9. p. 167. Verbi patrocinium susceperunt Bessel. miscellan. Philol. crit. 1, 5. Casp. Barth. ad Claudian. in Rufin. 2, 81. Schellerus in Lex., et, quantum ad scriptores serioris aevi, Ferd. Handius ad Gronov. Diatr. l. l. ita ut concederet Apuleio, denegaret Statio. Hoc certe loco in scriptura librorum acquiescendum putavi, quum similitudinis potius quam simulationis mentionem flagitet sensus verborum. Utramque enim scripturam veram, sed pro loci cujusvis ratione et natura eligendum crediderim, ut jam non mirum sit, cur in hoc tantum vocabulo adeo fluctuent codices, in cognatis simulare, dissimulare et insimulare rarissime discrepent. Diomed. Lib. 1. p. 362, 4. Putsch: „Sane dixerunt auctores simulat per U, hoc est ὁμοιάζει, ut Cicero de Republica: Nullum est exemplum quam alius assimulare Rempublicam, (Leg. quasi.) Virgil. (Aen. 12, 224.) formam assimulata Camertae.“ quod vix animadvertisset Grammaticus, nisi in hac τοῦ ὁμοιάζειν potestate verbi nostri altera forma per I usitatior fuisset.

X.

Auspicia sortesque, ut qui maxime observant. Sortium consuetudo simplex. virgam, frugiferae arbori decisam, in surculos amputant, eosque, notis quibusdam discretos, super candidam vestem temere ac fortuitu spargunt. mox, si publice consuletur, sacerdos civitatis; sin privatim, ipse pater familiae, precatus Deos, coelumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur. si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio; sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam hic notum, avium voces volatusque interrogare. proprium gentis, equorum quoque praesagia ac monitus experiri. Publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis, candidi, et nullo mortali opere contacti: quos

X. Auspicia et sortes frequenter adhibentur. Sortium consuetudo describitur. Auspicia ex avium voce volatuque, ex equorum hinnitu ac fremitu: his maxima fides. Quomodo bellorum eventus explorent.

decisam.) descisam. Cod. Longol. Nor.
surculos.) surculo. Ald.

fortuitu) ex edd. Rom. et Nor. Ernestio non improbante, Seeb. praeeunte, recepi. Reliqui: fortuito. Scripturam codd. et edit. Spir. nemo indicavit. Recte monet Ern. fortuitu saepius transiisse in fortuito, quam contra, coll. Oudend. ad Sueton Tib. 39. Graev. ad Cic. Offic. 1, 29.

consuletur.) Cod. Hummel. Longol. Nor. Put. Mon. Vienn. omn. ante Rhenan. qui primus consulatur. Ern. improbante. Muret. consultatur. assentiente Broterio: frustra.

prohibuerunt.) prohibuerint. Seeb. quod factum nollim. Statim cap. seq. si displicuit sententia, fremitu aspernantur; sin placuit —, quae intacta reliquisse laudandus est idem V. D.
candidi.) candi. Nor.

quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps civitatis comitantur, hinnitusque ac fremitus observant. Nec ulli auspicio maior fides, non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes. se enim ministros Deorum, illos conscios putant. Est et alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorant. Eius gentis, cum qua bellum est, captivum, quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committunt. victoria huius vel illius pro praeiudicio accipitur.

XI.

De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes: ita tamen, ut ea quoque, quorum pe-

pressos sacro curru.) Jo. Frid. Gronov. prensos, similiter Ovid. Metam. 14, 819. pressos temone equos, locum huc apprime facientem, corrumpens. „Curru pressi sunt equi currui subjuncti: Ovid. Amor. 1, 2, 14.

Detrectant pressi dum juga prima boves."

Ferd. Handius ad Gronov., elench. antidiatr. T. 2. p. 139. premi enim de quovis ministerii genere, et de levissimo quoque, usurpatur. v. Heynium ad Tibull. 4, 10, 3. pressum quasillo scortum, et Interpp. Ovid. Metam. 1, 124. Wopkens Lectt. Tullian. 1, 18. p. 100.

hinnitusque.) hinnitus. Put. Mon.

sed apud proceres.) sed omisit Nor. quod non displicet. Hujus conjunctionis post negationem omissae exempla collegerunt Drakenb. ad Liv. 28, 39. Cort. ad Sallust. Iugurth. 21, 2. 33, 4. Ernest. ad Annal. 3, 19.

patriis.) patris. Mon.

XI. Concilia cum apud principes, tum apud omnes. Certi, quibus consultaturi coeant, dies. Noctium numerum computant. Cunctatio coeuntium, ex libertate vitium. Sacerdotum regumque in conciliis auctoritas. Dissensus assensusve quomodo ostendatur.

principes consultant.) princeps consultat Mon.

penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur. Coeunt, nisi quid fortuitum et subitum inciderit, certis diebus, quum aut inchoatur luna, aut impletur. nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non simul, nec ut iussu conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coeuntium sed

apud principes.) apud princeps. Vienn.

pertractentur.) praetractentur. Muret Acidal. Grotius, Conring. alii. Non displiceret, nisi Tacitus scripsisset: ut EA QVOQVE — pertractentur. Sed nec Ernestius, nec Gebauerus, nec Longolius attendisse videtur ad discrimen inter arbitrium de re et ipsam rei pertractationem.

inciderit.) incidit. Put. Mon. Vienn.

auspicatissimum.) Una ed. Rom., cujus lectiones interdum attulit Oberl. Auspicacissimum omnes ante Beroaldum, qui vulgarem loci scripturam tacite invexit, an e codice, perquam dubitandum. Retinui tamen, ne nimio antiquarum lectionum studio novarum rerum cupidus videar: haud enim diffiteor, alterum illud, quamvis adjectivum auspicax praeterea non appareat apud scriptorem Romanum, mihi quidem praeplacere. Cod. Longol. auspicissimum.

computant.) computent. Mon.

ut jussu.) Ita cod. Arundel. jussu, omissa conjunctione, cod. Bamberg. Contra injussi cod. Longol. et Nor. jussi Put. Mon. Rhenan. Ald. E scriptura depravata edit. Norimb. ingeniosa Lipsii fluxit conjectura: ut jussi, in textum admissa ab Ern. Oberl. Bred. Seeb. et hoc ipsum, ut alia praeclara, praebet ed Vienn., a me primum adhibita. Sententia loci nihil immutatur, sive legas ut jussu, sive ut jussi: possis quoque: jussi, etiamsi jussi fuerint. v. Gebauer. vestig. p. 30. Dedi tamen, quod certissima inniteretur auctoritate, non quod magis arrideret, quamvis e cod. quoque Hummel. ut jussi enotatum sit a Longol.

coeuntium.) coetium. Cod. Longol. Nor. coetuum. conj. Longol.

absumitur. Ut turbae placuit, considunt armati. silentium per sacerdotes, quibus tum et coercendi ius est, imperatur. Mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis, quam iubendi potestate. si displicuit sententia, fremitu aspernantur; sin placuit, Frameas concutiunt. honoratissimum assensus genus est, armis laudare.

XII.

Licet apud concilium accusare quoque, et discrimen capitis intendere. Distinctio poenarum ex delicto. proditores et transfugas arboribus suspendunt: ignavos, et imbelles, et corpore infames coeno ac palude, iniecta insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tanquam scelera ostendi oporter-

turbae.) turba conj Gronov. recepit Ern. quem Bred. sequutus est. Bipontini, Oberl. et Seeb. jure tuentur vulgatam. „Postquam satis frequentes convenisse SIBI visi sunt", explicat Gronov. linguae vim inferens. Hoc voluit Tacitus: initia deliberationum apud Romanos condicuntur, ut Magistatibus placuerit; apud Germanos, ex arbitrio plebis: sacerdotum igitur auctoritas, ante consessum ipsum nulla, tunc demum incipit, ubi turbae consedisse visum fuerit: et hoc dixit, si librorum scriptura servatur.

quibus tum et coercendi jus.) tum, ubi consederint, nec diutius. tamen et. Cod. Longol. Nor. recepit. Longol. male. Seebodius: quibus etiam c. j. ex conjectura, puto, sed nihil erat mutandum.

XII. Poenae ex delicto: transfugarum et proditorum aliae ac ignavorum. Quorsum respiciat diversitas supplicii. Leviorum delictorum poenae. Mulctae. Principes, in conciliis electi. Centeni singulis e plebe comites.

delicto.) dilecto. Mon.

oporteat, dum puniuntur; flagitia abscondi. Sed et levioribus delictis: pro modo poenarum, equorum pecorumque numero convicti mulctantur. pars mulctae regi, vel civitati; pars ipsi, qui vindicatur, vel propinquis eius exsolvitur. Eliguntur in iisdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddunt. Centeni singulis ex plebe comites, consilium simul et auctoritas, adsunt.

XIII.

Nihil autem neque publicae neque privatae rei, nisi armati agunt. Sed arma sumere non ante cuiquam

pro modo poenarum.) Haec est librorum omnium scriptura recte explicata a Longolio et a Gebauero, Vestig. p. 732. Ut poena levior graviorve, ita equorum pecorumque numerus minor vel major. Acidalii conj. Levioribus delictis pro modo poena. Equorum — sequuti sunt Ern. Oberl. Bred. Seeb.

conciliis.) consiliis. Mon.

reddunt.) Ern. reddant, quod receptum est a Bipont. Oberl. Bred. male. Ii enim in conciliis eliguntur, quos per pagos vicosque jus reddere cognitum erat Tacito, hos vero accurate distingnit ab iis, penes quos in conciliis licebat accusare et discrimen capitis intendere. Ceterum mira est lect. diversitas codd. Arund et Bamb: qui VITA per pagos vicosque EXCELLVNT.

XIII. Nihil nisi armati agunt. Arma sumere haud licitum, priusquam civitas concesserit, qui primus juvenum honor. Dignationem principis hereditate interdum nanciscuntur. Comitatus nobilium ejusque gradus. Principis in comitatu vires, gloria, auctoritas, nec solum in sua gente, sed etiam apud exteros.

quam moris, quam civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus, scuto frameaque iuvenem ornant. haec apud illos Toga, hic primus iuventae honos: ante hoc domus pars videntur, mox reipublicae. Insignis nobilitas, aut magna patrum merita, principis dignationem etiam adolescentulis assignant: ceteris robustioribus ac iam pridem probatis ag-

Tum in ipso concilio.) Cum Cod. Longol. Nor. errore solemni. Eum post tum, Ernestio teste, omnes ante Rhenan. inserunt: Nor. certe excipienda erat. Possis servare pronomen, si malis expungere juvenem, ut ab interpolatore additum, quae suspicio in pronomen cadere nequeat. Rectius tamen Ern. vitii originem in prava particulae TVM scriptura deprehendit. Quodammodo vel defendere possis duplicem accusativum: qui antea in puerorum numero habebatur, eum scuto frameaque ornatum juvenem agnoscunt et pronunciant. Consilio rursus Mon.

vel pater.) vel ipsi. Nor. lectio haud plane spernenda, in cod. quoque Longol. servata.

propinquus.) propinquis. Nor.

haec ap. illos t.) NEC ap. illos t. Cod. Longol. Nor.

honos.) et iterum, librorum consensu, cap. 29, 44. E contrario honor. cap. 5. 6. 20., „quae ad eandem formam revocare, ut facillimum, ita, opinor, perquam lubricum est." Schaefer. Melet. crit. p. 111. v. quoque ad cap. 43.

principis.) principum. Mon.

ceteris.) Lipsius: ceteri, approbantibus Ern. Broter. Seeb. Gebauero quoque, Vestig. p. 99. quibus quam maxime repugnant ipsa Taciti verba: principis dignationem ASSIGNANT, et seqq. nec RVBOR inter comites aspici. Assignabant adolescentulo nobili dignitatem patris, non statim tradebant: poterant enim vel patre superstite filio principatum promittere. De pudore vero illo inter comites aspici, ne sermo quidem poterat esse, nisi de futuro principe loquutus sit Tacito. Comites enim nobiles fuisse, Tacitus ipse non sinit dubitare cap. seq. adde Moeseri Hist. Osnabr. 1. p. 65. sq. et Longolium ad nostrum locum.

aggregantur, nec rubor inter comites aspici. Gradus quin etiam et ipse comitatus habet, iudicio eius, quem sectantur. magnaque et comitum aemulatio, quibus primus apud principem suum locus; et principum, cui plurimi et acerrimi comites. Haec dignitas, hae vires, magno semper electorum iuvenum globo circumdari; in pace decus, in bello praesidium. Nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat. expetuntur enim legationibus, et muneribus ornantur, et ipsa plerumque fama bella profligant.

XIV.

Quum ventum in aciem, turpe principi, virtute vinci; turpe comitatui, virtutem principis non adaequare. iam vero infame in omnem vitam ac pro-

aggregantur –) „aggregant. liber vetus, quod Taciti et veterum phrasin olet". Lipsius.

et ipse.) Copula abest a Put. Mon. Vienn.

principum.) principium. Vienn.

magno semper elect. juv.) magno semper ET elect. juv. Nor. multo deterius, nec sane o more Taciti.

cuiquam) desideratur in Nor.

XIV. Certatur de virtute bellica inter principem et comites. Principes pro victoria, comites pro principe pugnant. Iuvenes nobiles, pacis impatientes, externas, quibus bellum aliquod, nationes ultro petunt Bella principibus materiam praebent, qua magnum comitatum tueantur. Stipendium comitum. Germani ad arma, quam ad agrorum culturam promptiores,

virtutem principis non adaequare.) Cod. Hummel. Longol. Nor. Vienn. Rhen. rec. omnes. aequare. Spir. Put. Mon. Sed Tacitus ipse: Annal 15, 19. longa patrum vota adaequare. Sallust. Jug. 4, 6. virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit. Interpp. Iul. Caes. Bell. Gall. 5, 8, 5.

probrosum, superstitem principi suo ex acie recessisse. illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius assignare, praecipuum sacramentum est. Principes pro victoria pugnant, comites pro principe. Si civitas, in qua orti sunt, longa pace et otio torpeat; plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerunt: quia et ingrata genti quies, et facilius inter ancipitia clarescant, magnumque comitatum non nisi vi belloque tueare. exigunt enim principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque

praecipuum sacr.) Cod. Hummel. Longol. Nor. Vienn. Rhenan. rec. principum sacr. „Liber script." ap. Lips. Spir. Put. Mon. Sic Latine dici sacramentum, quo comites principi obstringuntur, contra Gronovium evincere conatus est Ernestius: non evicit. In his enim singularis numerus solemnis esse videtur, quod ipsa Ernestii exempla confirmant. Ita nusquam scriptum reperies sacramentum Consulum, semper Consulis. Praeterea, altera illa lectione admissa, structuram lucrabimur adeo impeditam, inconcinnam et negligentem, ut deteriore quoque auctore indigna judicanda sit.

adolescentium.) adolescentum. Nor. Put.

ultro.) ultra. Cod. Longol. Nor.

et facil. inter anc. clarescant.) Spir. Bip. Oberl. Bred. Seeb. et ita Tacit. cap. 36. quia inter impotentes et validos falso quiescas. Sed quum subjunctivus librariis fraudi fuerit, in duplex vitium discesserunt: et facilius — clarescunt. Cod. Hummel. Nor. Rhenan. Ern. Longol. qui sui codicis lectionem silentio pressit. et ut facil. — clarescant. Put. Mon. Vienn. quae harum scripturarum origo satis tuebitur lect. Spirensem.

tueare.) Cod. Arund. Hummel. Spir. Put. Mon. Vienn. Rhenan. prior. Ern. Longol. Bred. Seeb. tueantur. Liber Lipsii. Rhenan. Bip. Oberl. quae lectio quam sit inconcinna, optime docuit Gronov. Solent ita librarii in subita personarum commutatione.

que Frameam. Nam epulae et ~~convictus~~, quanquam incompti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. materia munificentiae per bella et raptus. Nec arare terram, aut exspectare annum tam facile persuaseris, quam vocare hostes et vulnera mereri. pigrum quin imo et iners videtur, sudore acquirere, quod possis sanguine parare.

XV.

Quotiens bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno cibo-

et convictus, quanquam incompti, largi tamen apparatus.) Spir. Put. Mon. Vienn. Rhenan. prior. Omittunt contra convictus Codd. Hummel. et Longol. et post Rhenan. rec. fere omnes. Unus Pichena intellexit, verba largi apparatus gignendi casu posita esse, et hunc Bipont. recte sequuti sunt. Nemo facile dixerit, quinam sint apparatus illi, tam nude in medio collocati, nisi retulerit ad convictus.

hostes.) hostem. Nor. Vienn. haud male: Virg. Georg. 4, 76.

vocant clamoribus hostem.

cf. Ernest. ad Histor. 4, 80. ubi nostrum locum ita scriptum exhibet, ut ed. Nor. et Vienn.

XV. Per pacem somno ciboque magis quam venatui dediti, curam domus ad feminas senesque delegant. Munera principibus a civitatibus ultro collata.

quotiens.) invitis libris sollicitare nolui: omnium aeque consensu agnoscitur Agric. cap. 1.

non multum venatibus.) Lipsius, pugnam cum Caesare, Bell. Gall. 6, 21, 3. imo, quod dicit, cum ratione et usu compositurus, spreta librorum auctoritate, negationem expunxit: speciosa profecto correctio, plurimorum post Lipsium editorum assensu comprobata. Sed narratio Caesaris, Germanorum vitam in venationibus et studiis rei militaris consumi, Tacito haud magis repugnat, quam quae subjungit: a parvulis eos labori ac duritiae studere. v. Longolium, egregie de hoc loco meritum. Et sane qui attente nullisque occupatus opinionibus totum locum examinaverit, huic persuasissimum erit, negationem ab ipso Tacito profectam ne posse quidem abesse. Profecto enim repugnat usui ac rationi, gentem, talibus oblectationibus assuetam, quales in sequentibus enumerantur, animi causa et ultra necessitates indulgere venatibus. Seebodius quoque vulgatam attrectare veritus est.

boque: fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens; delegata domus et Penatium et agrorum cura feminis senibusque et infirmissimo cuique ex familia; ipsi hebent, mira diuersitate naturae, cum iidem homines sic ament inertiam, et oderint quietem. Mos est civitatibus, ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subvenit. Gaudent praecipue finitimarum gentium donis, quae non modo a singulis, sed publice mittuntur: electi equi, magna arma, phalerae torquesque. iam et pecuniam accipere docuimus. XVI.

ipsi hebent, mira diversitate naturae.) Cod. Farnes. Nor. Rhenan. in castig. post Lipsium in ed. jure receptum. ipsi habent, mira diversitate nat. Spirens. unde pessima haec subnata est scriptura: ipsi habent miram diversitatem nat. Put. Mon. Vienn. Rhenan. rel. ante Lipsium, Codd. quoque Hummel. et Longol.

iidem.) iisdem. Nor.

oderint.) oderunt. Vienn.

ultro ac viritim.) ultro ac iurium. Cod. Longol. Nor. prout solent, in idem vitium conspirantes. Hoc tamen loco vix diversitas scripturae statuenda: elementa litterarum eadem sunt, lineolae novem perpendiculares, in quibus conjungendis dispescendisve vulgatissimus error est scriptorum et impressorum. Rhenano tamen venit in mentem conj. ultro equitium, Bipont. ultro auctarium, utrumque male. De genitivis armentorum vel frugum editor Taciti sollicitus esse haud debebat. v. Hor. Sat. 2, 8, 55. trahentia pulveris atri, quantum — sic enim distinguendum.

principibus.) princ. aliquid. Vienn. explicandi causa addit.

sed publice.) sed et publ. Nor. Put. Mon. Rhenan. Seeb. Cave accedas Tacitum ita interpolantibus. Iam tum NON Consulibus MODO, SED plerisque Senatoribus perniciem machinabantur. Sallust. Catil. 18, 7. ibique Cort. Duker. ad Flor. 3, 4. Similiter apud Graecos: οὐ μόνον, ἀλλὰ — pro ἀλλὰ καὶ — Oudend. ad Thom. Mag p. 376. Hindenb. Animadv. in Xenoph. memor. Socr. p. 41. Duplex est ellipsis Germ. cap. 41. non in ripa commercium, sed penitus atque in splendidissima Rhaetiae provinciae Colonia.

XVI.

Nullas Germanorum populis urbes habitari, satis notum est; ne pati quidem inter se iunctas sedes. colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem, connexis et cohaerentibus aedificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia aedificandi. Ne caementorum quidem apud illos, aut tegularum usus: materia ad omnia utuntur informi, et citra speciem aut delectationem. Quaedam loca diligentius illinunt terra ita pura ac splendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. Solent et subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hie-

XVI. Urbes non habitant, nec vicos in morem Romanorum locant. Discretae singulorum sedes, spatioque circumdatae. Materia, qua utuntur in aedificando. Specus subterranei, receptacula frugum.

populis.) populos. Vienn.

locant.) longant. Nor.

in nostrum morem.) in nostro more. Cod. Arund. male. v. Heind. ad Hor. Sat. 2, 1, 63.

inscitia.) insticia. Nor.

caementorum.) scaementorum. Nor.

aut tegul.) aut ante tegul. Ald.

ac splendente.) et splend. Put. Mon. Rhenan. Ald.

imitetur.) invitet. Egregie fallitur Ernestius, ita unam Gryphianam a. 1542, et vitio quidem operarum, scriptum exhibere putans: idem poterat reperire vir in enotandis libb. lectionibus parum accuratus ap. Rhenan. et Ald.

onerant.) operiunt, Codd. Bamb. et Arund. „Vix credam, Tacitum eodem versiculo scripsisse aperiunt et operiunt: sed illud huic inducendo locum fecisse videtur“ Ern.

suffugium.) suffugiumque. Vienn.

hiemi et receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum eiusmodi locis molliunt; et si quando hostis advenit, aperta populatur; abdita autem et defossa aut ignorantur, aut eo ipso fallunt, quod quaerenda sunt.

XVII.

Tegumen omnibus sagum, fibula, aut, si desit, spina consertum. cetera intecti totos dies iuxta focum atque ignem agunt. Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatae ac Parthi, sed stricta et singulos artus exprimente. Ge-

populatur.) populatio. Cod. Longol. Nor. Haud spernam, dummodo aperti sive apertorum populatio legatur.

ignorantur.) ignoranter. Nor.

XVII. Vestitus Germanorum, exquisitior apud locupletiores. Usus pellium. Habitus feminarum idem fere qui virorum. Interdum lineis amictibus velantur, nudae brachia ac lacertos et proximam pectoris partem.

fluitante.) fluitantem. Vienn.

artus.) arctus. Cod. Longol. Nor. frequentissimo errore. v. Drakenb. ad Sil. Ital. 7, 280. artus exprimere similiter Horat. A. P 33.

ungues
exprimet, et molles imitabitur aere capillos et Epist. 2, 1, 248. quibuscum compares Graecorum ἐκμάττεσθαι εἰκόνα, v. Schaefer. ad Dionys. Halic. de comp. verb. p. 378. verba solemnia de iis, qui cera gypsove imagines effingunt. Apud Tacitum sermo est de veste, ad accuratissimam corporis humani imitationem confecta.

Gerunt et ferarum pelles, proximi ripae negligenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras, et detracta velamina spargunt maculis pellibusque beluarum, quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit. Nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod feminae saepius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant, partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudae brachia ac lacertos; sed et proxima pars pectoris patet.

XVIII.

Gerunt et ferarum pelles — pellibusque beluarum.) Locus ab editoribus multum vexatus, sed si quis alius sanus. Lectionis varietatem deprehendi nullam, nisi quod Mon. verba ut quibus omisit. Bredovius quidem haec: „In codice quodam est: ulteriores exquisitius: AT quibus nullus per commercia cultus, eligunt feras." Sed nec ipse novos codices adhibuit, nec priorum editorum quisquam, quantum mihi quidem innotuerit, mentionem fecit hujus lectionis, cujus fides sit penes auctorem. Transpositiones subinde justo violentiores Mureti, Carrionis, Cluverii probe refutavit Lipsius: ipse ab Ernestio jure explosus propter futilem vocabuli maculis in mastrucis mutationem. Maculas pellesQVE beluarum dixit maculas e beluarum pellibus confectas; de quo rariore quidem, sed apud Tacitum saepius obvio dicendi genere copiose accurateque egit G. L. Walchius, Emendatt. Livian. p. 67. s. Infra cap. 28. a similitudine et inertia Gallorum separantur. 33. oblectationi oculisque ceciderunt.

feminae.) si abesset, non multum desiderares post verba: nec alius feminis habitus.

eosque purp.) eosque et purp. Vienn. cui hic non locus.

ac lacertos.) et lacertos. Mon.

XVIII.

Quanquam severa illic matrimonia; nec ullam morum partem magis laudaveris. Nam prope soli Barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem, plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. Intersunt parentes et propinqui, ac munera probant, munera, non ad delicias muliebres quaesita, nec quibus nova nupta comatur; sed boves, et frenatum equum, et scutum cum Framea gladioque. In haec munera uxor accipitur; atque invicem ipsa armorum aliquid viro affert. hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales Deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes, extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio passuram au-

XVIII. Attamen severa apud Germanos matrimonia. Vir una plerumque uxore contentus. Dos uxori a marito, non ad delicias muliebres quaesita: boves, equus, arma. Armorum aliquid invicem viro affert, ut laborum periculorumque socia. Munera inviolata servantur, liberisque rursus traduntur.

Novum caput apud Oberlinum incipit a verbis: Sed et proxima pars pect. apud Seebodium a: nec ullam morum partem: neutrum recte. Ille enim arcte conjuncta distraxit: hic de structura loci sollicitus sensum foede corrupit: nam qualis haec est sententia: quanqnam severa sunt Germanorum matrimonia, proxima tamen pectoris pars patet! Fefellit virum doctissimum particula absolute posita, cujus exempla ipse praebet Tacitus. Annal. 2, 1. 2, 34.

uxor marito.) uxor desideratur in ed. Nor. marito in codd. Arund. et Bamb. quod Seeb. uncinis includit: utrumque male.

viro affert.) „alii marito, minus bene.“ Longol. quam lectionem unde hauserit, ignoro.

maximum.) maxumum. Bred. quod a sermone Taciti alienum.

extraque.) extra. Vienn. minime displicet.

ausuramque. hoc iuncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. sic vivendum, sic pereundum: accipere se, quae liberis inviolata ac digna red-

data arma.) parata a. Cod. Longol. Nor. quod defendere non debebat Longol.

denuntiant.) renuntiant in codice se invenisse testatur Rhenan. habet lib. Longol et renunctiant. Nor. neutrum per se spernendum, dummodo nec illud cum Ernestio vi minandi, nec hoc cum Longolio de responsis quasi oraculorum interpreteris. Verbum utrumque solemne est de rebus auctoritate publica indicendis: hic recte transferuntur ad arcanum munerum nuptialium sensum, quem illustravit Tacitus: denuntiant retinui, quia praestantiores habet sponsores.

sic vivendum, sic pereundum.) sic viventes, sic parientes. Cod. Longol. Nor. Rhenan. perientes conjecit Longolius!

inviolata.) involuta. Cod. Longol. involata. Nor. quae lectio mihi persuasit, codicem illum Longolii fluxisse ex editione Norimbergensi: alia loca firmant sententiam. v. cap. 19.

digna reddat, quae nurus accipiant rursus, quae ad nepotes referantur.) Servavi lectionem ed. vett. quas consului omnium, Nor. Put. Mon. Vienn. Primus, quantum quidem licebat relegere vestigia hoc imprimis loco obscurata, Rhenanus tacite rescripsit: digna reddat, quae nurus accipiant, rursusque ad nepotes referant. Tacite sequuti sunt recentt. nisi quod Ern. monuit, in Spir. quoque, quae ad nep. scriptum legi: de vocabulo postremo altum silentium. Haerebant tamen, nec injuria, in adj. digna absolute posito, quod Lipsio non sincerum, Gronovio ita explicandum visum est, ut dativus liberis bis scriptus cogitetur, et casu mutato, in hunc quidem sensum: reddat liberis inviolata et liberis digna: pessime. Recte tamen intellexit, dignum pro honesto sanctove usurpari non posse. Munera enim digna dicere quidem possis nihil praeterea addens: sed erunt munera merita, jure in aliquem collata, quo sensu praemia digna ap. Virg. leguntur, fructus dignus ap. Hirt sive munera talia, quae munera esse dicique queant: ita Imperator dignus ap. Iustin. Hinc mihi persuasissimum est, digna referendum esse ad quae accipiant, nec aliud quid volebat Nicol. Heinsius, dum transponeret verba: quae liberis inviolata reddat ac digna, quae — Sed et hac emendatione supersederi posse arbitror, quum saepissime inse-

reddat, quae nurus accipiant rursusque quae ad nepotes referantur.

XIX.

Ergo septae pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corrup-

ratur verbum inter adjectivum et pronomen relativum, nec quis conqueri possit de ambiguitate, ubi alteram interpretationem ipse linguae usus non admittat. Nihil igitur mutavi, nisi distinctionem: virgulam enim, quam posui post rursus, edd. vett. meae ante rursus habent, contra morem Taciti et scriptorum pedestrium, quanquam nec collocatio adverbii post verbum suum e frequentioribus est: idoneis tamen firmari potest exemplis. Referantur nemo non praetulerit vulgatae: talia frequentat Tacitus cap. 10. si prohibuerunt — sin permissum — cap. 13. assignant — aggregantur —, cap. 19. ridet — vocatur —. cap. 20. alit — delegantur —. cap. 23. si indulseris — vincentur.

XIX. Pudicitia feminarum: nec spectacula, nec convivia, nec litterarum secreta ipsis cognita. Adulteria rarissima: poena eorum. Pudicitiae publicatae nulla venia. Sanctissimi mulierum mores civitatibus iis, in quibus tantum virgines nubunt. Liberorum numerum finire, aut quenquam ex agnatis necare, flagitiosum.

septae pudicitia.) Cod. Arundel. Bip. Oberl. optime. Liv. 3, 44. omnia pudore septa. separata. cod. Turic. saepta. Nor. pudicitiae. Mon. septa pudicitia reliqui male. Sensum quidem praebet vulgata, sed perversum: septa enim pudicitia agitur inter claustra ac repagula: pudicitia vero septae dicuntur mulieres, quae sine custodibus caste sancteque degunt: sententia et Tacito et majoribus nostris unice digna: respexit sine dubio custodes illos, quibus Romani mulierum pudicitiam sepire frustra studebant, ipsos primo loco custodiendos: horum et cubiculariorum frequens apud Tacitum mentio, v. Interpp. Annal. 3, 28. 11, 35. 14, 44. cf. Broukh. ad Tibull. 1, 6, 9. Burm. ad Propert. 2, 6, 37. 3, 10, 17. Heindorf ad Horat. Sat. 1, 2, 98. 1, 6, 81. Iuvenal. 6, 234. 348. sexcenties ap. Ovid. His igitur castitatis adminiculis in mulieribus Germanorum haud erat opus: ignorabant etiam illecebras vitiorum, et erat sanctitas earum libera et voluntaria, haudquaquam septa.

ruptae. Litterarum secreta viri pariter ac feminae ignorant. Paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens, et maritis permissa. accisis crinibus, nudatam, coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. Publicatae enim pudicitiae nulla venia; non forma, non aetate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet; nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur. Melius quidem adhuc eae civitates, in quibus tantum virgines nubunt, et cum spe votoque uxoris semel transigitur. sic unum accipiunt maritum, quo modo unum corpus unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra

ac feminae.) et fem. Mon.

poena praesens, et maritis permissa.) „ad jus et Romanos mores propius in Bamberg. quorum poena parentibus et maritis." Haec Lipsius, bene refutatus a Longolio loco Caesaris. Bell. Gall. 6, 19, 3.

accisis.) adcisis. Nor. et corruptius: adcisam. Cod. Longol. v. ad cap. praecedens.

verbere.) verberans. cod. Arund. male.

publicatae enim pud.) publicante e. p. Mon. publicatae etiam p. Lips. male assentiente Ernestio, ac si virgines tantum pudicitiam possint publicare.

invenerit) invenit. Put. Mon. Vienn.

vocatur.) vocantur. Nor. etiam a Rhenan. annotatum.

semel transigitur.) simul, quod ex conj. Jo. Henr. Vossii attulit Bredovius, jam exhibet ed. Vienn: aberratio vulgaris. Hic tamen nihil mutandum: sensus fere idem: marito defuncto, nec sperant jam, nec optant, secundo potiri: sed hic particulae semel usus paulo exquisitior: cum spe votoque in omne tempus transactum est. v. egregiam Bentleji annotationem ad Hor. Sat. 2, 8, 24. cui frustra obloquitur Heindorfius, et Forcellinum. h. v. Alia exempla scriptores praebent Tacito aequales, Plinius major et Quinctilianus. Plane eodem modo Graeci vocula ἅπαξ utuntur. Steph. Thes. T. 1. p. 483. s. Nos: ein für allemal. Transigitur cum spe: cf. Agric. 34. transigite cum expeditionibus.

ne ulla cogit.) nec ulla cog. Groslotius „e vet. cod." male.

tra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament. Numerum liberorum finire, aut quenquam ex agnatis necare, flagitium habetur. plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonae leges.

XX.

In omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in haec corpora, quae miramur, excrescunt. Sua quemque mater uberibus alit; nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas. inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat. Sera iuvenum venus, eoque inexhausta pubertas. Nec virgines festinantur: eadem iuventa, similis proceritas: pares validaeque miscen-

ne longior.) nec long. Vienn. bona lectio, etsi non necessaria.
finire.) finuere. Nor.

XX. Educatio liberorum. Nutrices et ancillae ignorantur. nobilium pueri haud delicatius educantur servis. sera juvenum virginumque venus. Sororum filii in praecipuo apud avunculos honore. Heredes cuique liberi: proximi gradus fratres, patrui, avunculi. Nulla orbitatis pretia.
dignoscas.) dinoscas. Spir. Nor. Vienn.
separet.) seperet. Nor. Vieun.
inexhausta.) inexauta. Nor.
validaeque.) validique Lipsius et Pichena, ex ingenio, ut videtur. Fluxit emendatio e verbis perperam acceptis: eadem juventa, similis proceritas, quae ad tempus nuptiarum referri non debebant. Dicit Tacitus, in eadem qua pueri educatione juvenili ad eandem proceritatem virgines quoque pervenisse; nec multum repugnarem, si quis, distinctione sublata, in eadem juventa ablativum velit agnoscere. Certe peccatum est a Bredovio, commate tantum post proceritas incidente.

dent muneribus: sed nec data imputant, nec acceptis obligantur. Victus inter hospites comis.

XXII.

Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur; saepius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. Lauti cibum capiunt: separatae singulis sedes, et sua cuique mensa. Tum ad negotia, nec minus saepe ad convivia procedunt armati. Diem noctemque continuare potando, nulli probrum. Crebrae, ut inter vinolentos, rixae, raro conviciis, saepius caede et vulneribus transiguntur. Sed et de reconciliandis invicem inimicis, et iungen-

Victus inter hospites comis.) Bleterius Francogallus haec spuria esse judicavit, non sine aliqua veri specie, qua decepti Ern. Bred. Seeb. verba nostra cancellis incluserunt. Si vero consideraveris, Tacitum hactenus de Germanorum hospitalitate erga ignotos loquutum esse, verbaque haec postrema ad eos pertinere, quos mutuum amicitae foedus junxerit, (inter hospites.) necessario addita tibi videbuntur.

XXII. Vita quotidiana Germanorum. Convivia: compotationes. Consultant in conviviis de rebus publicis privatisque, postera die retractant, salva utriusque temporis ratione.

e somno.) enim sompno. Cod. Longol. Nor.

calida.) apud calida. Mon.

separatae.) seperatae. Nor.

probrum.) pro̅bum. Nor.

vinolentos.) vinulentos. Nor. violentos. Rhenan. ex ingenio, sed contra sensum loci contraque certissimum ipsius Taciti testimonium, Annal. 11, 16. quod recte monuit Longol.

Sed et.) Copulam omittunt Put. Mon. quod hoc loco non ferendum, quum nulla praecesserit negatio. v. ad cap. 16.

reconciliandis.) Codd. Turic. Hummel. Longol. Nor. Vienn. Rhenan. recentt. reconciliatis. Cod. Arund. semper pronus in deteriora. Put. Mon.

inimicis.) Codd. Hummel. Longol. Nor. Rhenan. recentt. inimicitiis. Put. Mon. Vienn. cui facile pretium statues.

gendis affinitatibus, et asciscendis principibus, de pace denique ac bello, plerumque in conviviis consultant: tanquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. Gens non astuta, nec callida, aperit adhuc secreta pectoris licentia ioci: ergo detecta et nuda omnium mens. Postera die retractatur, et salva utri-

nec callida.) aut callida. cod. vet. Groslotii. quod recipiendum fuisset, si melioribus testibus confirmaretur. Annal. 3, 54. NEQVE mihi, AVT vobis usui. 13, 39. NEQVE paci, AVT proelio paratum. Serv. ad Virg. Aen. 4, 502. Nec displicet maior distinctio ed. Vienn. post callida.

adhuc.) Codd. Turic. et Hummel. Put. Mon. Vienn. Rhenan. Ern. Oberl. Bred. Seeb. recte. ad hoc. Codd. Arund. et Longol. Nor. Longol. ad haec. „vet. edit." ap. Jac. Gronov. tunc. Pichena et Cluver. ex ing. Ut de lectione, ita de sensu multum disputatum est: mihi vix ullus Taciti locus clarior et apertior visus est: tamen praeter Ernestium veram sententiam nemo ne attigit quidem, et Ern. quoque dubitanter: „dupliciter licet interpretari, vel insuper, etiam, vel nunc, quoque, nondum edocta artes dissimulandi et fingendi alia, quam sentiat." Posterius proxime abest a vero. Hic quoque respicit Tacitus ad Romanos, a quibus Germani nondum didicerant, intimos pectoris sensus occultare et abscondere. E contrario cap. 15. extr. JAM et pecuniam accipere docuimus. Sed optime locum illustrat prooemium Agricolae.

licentia ioci.) Manuscr. et impr. omnia ante Rhenan. Rhenan. e conj. loci; tanto criticorum applausu, ut praeter Ern. et Seebodium nemo a miserrima hac interpolatione recedere ausus sit. Bredovio unde innotuerit, in cod. Mir. interpungi post pectoris, nescio.

ergo — ratio est.) Distinctionem exhibui, qualem Vienn. praebet: vulgo interpungunt post retractatur. Sed nec structuram: mentem retractare, Latinam putem: nec conclusionem: ergo — retractatur, sententiae satis aptam. Detecta et nuda omnium erat mens, quia Germani, licentia joci invitati, in conviviis secreta pectoris aperire non dubitarent.

utriusque temporis ratio est: deliberant, dum fingere nesciunt; constituunt, dum errare non possunt.

XXIII.

Potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus. proximi ripae et vinum mercantur. Cibi simplices: agrestia poma, recens fera, aut lac concretum. Sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. adversus sitim non eadem temperantia. Si indulseris ebrietati, suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis, quam armis, vincentur.

XXIV.

Genus spectaculorum unum, atque in omni coetu idem. Nudi iuvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu iaciunt. Exer-

XXIII. Potus cibique Germanorum. Ebrietati indulgent.

hordeo.) ordeo. Put. Mon. Rhenan. „Scribendum est ordeum, non hordeum. Quinctilian 1, 5, 19.“ Longol. quod suum fecit Bred. sed antea inspecto Quinctiliano non fecisset. Loco enim laudato nihil occurrit, quod huc trahi possit. Et sect. 20. de aspiratione quidem sermo est, non item de nostro vocabulo: sect. 16. de hordeo, nec de aspiratione, sed de altera illa forma plurali hordea, de qua v. Io. Henr. Vossius ad Virg. Georg. 1, 210. Servavi igitur scripturam vulgarem, quum praeterea aspiratio saepius male omittatur, quam perperam addatur.

corruptus.) corrupti. Cod. Arund.

vitiis.) vino. Cod. Bamberg. satis jam refutatum a Gronovio.

XXIV. Genus spectaculorum unum, saltatio juvenum inter gladios frameasque. Aleae ludum nimium quantum exercent. De libertate ipsa ac de corpore contendunt. Fides Germanica.

Exercitatio artem parat, ars decorem: non in quaestum tamen, aut mercedem: quamvis audacis lasciviae pretium est, voluptas spectantium. Aleam, quod mirere, sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut, quum omnia defecerunt, extremo ac novissimo iactu de libertate ac de corpore contendant. Victus voluntariam servitutem adit: quamvis iuvenior, quamvis robustior, alligari se ac venire patitur. Ea est in re prava pervicacia: ipsi fidem vocant. Servos conditionis hu-

parat.) Spir. Put. Mon. Vienn. plurimi ante Rhenan. et post Ern. — paravit. Nor. Rhenan. Oberl. Dedi quidem, quod praestantiores lectionis fontes praebebant: tamen alterum magis fere arridet. Perfectum inter plura praesentia facile in idem tempus poterat transire, nec negandum, sensum verborum: exercitatio parat artem, ars decorem, perfecto quam praesenti aptiorem esse, quum reliqua hujus loci praesentia: jaciunt, pretium est, longe aliud quid contineant, quam actionem perfectam. Exercitatio enim jam evaserat in artem ac decorem.

decorem.) decorum. „MSC. quidam" ap. Longol.

pretium est, voluptas sp.) comma inserui cum Oberl. Quaestum aut mercedem more gladiatorum Romanorum, haud affectabant: tamen juvenes quoque Germani praemium sibi proposuerant, voluptatem dico spectatorum. Pretium pro praemio. Annal. 2, 10. 3, 40. 6, 3.

defecerunt.) Nor. Put. Mon. Vienn. Rhen. etc. Cod. Turic. defecerint. cujus auctoritatem, in tanto ed. vett. dissensu, cum Bipont. Bred. et Seeb. sequi nolui. Ipse Tacitus cap. 21. iisdem fere utitur verbis: quum defecere —, ubi v. not.

jactu.) tactu. Mon.

ac de corp.) Nor. Put. Mon. Vienn. Rhenan. Ald. Lipsius tamen, quamvis vix consulto, et de corp. quod recentt., fontium lectionum parum curiosi, nihil monentes repetiverunt.

juvenior.) Cod. Hummel. et Longol. Nor. Longol. Bip. Oberl. Bred. Seeb. cf. Gierig ad Plin. epist. 4, 8, 5. junior. reliqui ante Longol.

huius per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriae exsolvant.

XXV.

Ceteris servis, non in nostrum morem, descriptis per familiam ministeriis, utuntur. Suam quisque sedem, suos Penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono, iniungit; et servus hactenus paret. cetera domus officia uxor

XXV. Servorum sua cuique sedes: dominus frumenti modum aut pecoris aut vestis iis imperat. Verberare servum, aut vinculis et opere coercere, rarum: impune occidunt. Liberti non multum supra servos. Nullum iis in civitate momentum, iis gentibus exceptis, quae regibus subjectae sunt.

servis.) omittit cod. Longol. Longolio probante: haud recte.

modum.) domum. Put.

et servus.) ut servus. Nor.

cetera domus officia uxor ac liberi exsequuntur.) Quae hic cetera sint officia, plane non intelligo: domus enim non est domini, sed servi, qui, quod modo dixerat Tacitus, suos Penates regit. Necessitatem vero tributorum domino pendendorum nec inter officia domus, nec omnino inter officia poterat referre. Cetera, vi adverbii acceptum, a verbis domus officia separare, durius videtur, quamvis sensus loci tale quid exigat. Hinc suspicio mihi subnata est, cetera ad praecedentia pertinere, adjectivumque excidisse, quod quale fuerit ex oppositione licet colligere: liber: nec aliud vocabulum facilius poterat oblitterari per proxime insequentia: uxor ac liberi. Hunc igitur in modum rescripserim locum:

uxor ac liberi exsequuntur. Verberare servum, ac vinculis et opere coercere, rarum. occidere solent, non disciplina et severitate, sed impetu et ira, ut inimicum; nisi quod impune. Liberti non multum supra servos sunt: raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate; exceptis duntaxat iis gentibus, quae regnantur: ibi enim et super ingenuos et super nobiles ascendunt. apud ceteros impares libertini libertatis argumentum sunt.

XXVI.

„et servus hactenus paret, cetera liber. Domus officia uxor „ac liberi exsequuntur.“

Servus haud secus ac dominus agit. v. cap. 15. Ad verba ipsa cf. Horat. Carm. 4, 2, 60. fronte niveus videri, cetera fulvus. Epist. 1, 10, 50. excepto, quod non simul esses, cetera laetus. et. ibid. 3. hac in re scilicet una multum dissimiles, at cetera plene gemelli. cf. Bentl. ad locum postr. Nic. Heins. ad Ovid. Metam. 9, 99. Cortius ad Sallust. Jug. 19, 7. Et inverso ordine: Germ. 45. Cetera similes uno differunt. et cap. 29. cetera similes Batavis, nisi quod —.

verberare.) verberant servum, ac vinculis et opere coercere, rarum occidere solent. Nor.

ut inimicum.) ut in inimicum. Vienn.

nisi quod impune.) nisi quod impune est. Cod. Turic. Put. Mon. Vienn. revocarunt Bip. est pro copia est frequentat Tacitus. Germ. cap. 5. est videre. Agric. 32. est ulcisci. Hoc tamen loco recipere dubitavi, quia in his locis ubique infinitivum verbo substantivo statim additum animadverti.

aliquod momentum,) aliquid momenti. Cod. Arund. quod jure displicet Ernestio. De sensu loci egregie disputavit Gebauer. Vestig. jur. Germ. p. 430. sq.

iis gent.) his gen. Nor. is gent. Vienn.

XXVI.

Fenus agitare, et in usuras extendere, ignotum; ideoque magis servatur, quam si vetitum esset. Agri pro numero cultorum ab universis per vices occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur. facilitatem partien-

XXVI. Fenus agitare, ignotum. Agros inter se secundum dignationem partiuntur: mutant arva per annos. Solum fertile, cura agrorum exigua. Tria tantum apud Germanos anni tempora: auctumnum ignoraut.

in usuras extendere.) Ern. usuris vel per usuras extendere. Longolius fenus accepit de pecunia, sub usuris collocata: debebat certe exempla hujus usus afferre. Chr. Aug. Godofr. Emmerlingius de locis nonnullis in Tac. Germ. comm. p. 22. putat, auctorem notionem per adjectivum exprimendam peculiari quodam verbo, quo magis emineat, sejunctim exposuisse, et hinc explicat: „fenus agitare et pecuniam in usuras extensiores collocare." Antonius denique interp. vernac. p. 151. omnia haec de usuris spuria putat. Mihi de hoc loco sane difficillimo haud constat: prae ceteris tamen Emmerlingii placet sententia: nisi malis pecuniam, cujus notio inest fenori, intelligere ad verba in usuras extendere.

magis servatur.) lectionem male sollicitarunt Lipsius et Salmasius. „servatur, abstinentia a fenore agitando." Ern. cf. Dorvill. ad Charit. p. 411. Wyttenb. Bibl. crit. T. 3, 3. p. 110. Perizon. ad Sanct. Minerv. 4, 8, 5. Heusing. ad Cornel. Nep. Alcib. 3, 5.

quam si vet.) quam excidit in ed. Oberl.

per vices.) De hoc loco vix certi quicquam statuetur sine codicum ope: dedi quod inveni in Put. Mon. Vienn. Rhenan. et Aldin. a Gronovio egregie explicatum et ab Ern. servatum. in vices praebet ed Nor. receperunt Bip. et Oberl. eodem plane sensu quo per vices, sed ob hoc ipsum lectioni, a pluribus agnitae, posthabendum. vices, praepositione omissa, Spir. vice cod. Hummel. pro alternis vicibus acceptum a Longolio et textui obtrusum. vicis denique cod. Bamberg. quem Bred. et Seeb, sequuti sunt, sensu longe diverso, sed ab hoc loco alieno. Loquitur Tacitus de singulari

tiendi camporum spatia praestant. Arva per annos mutant; et superest ager. nec enim cum ubertate et amplitudine soli labor... contendunt, ut pomaria conserant, et prata separent, et hortos rigent. sola terrae seges imperatur. Unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species: hiems, et ver, et aestas intellectum ac vocabula habent; auctumni perinde nomen ac bona ignorantur.

XXVII.

Funerum nulla ambitio. id solum observatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur. stru-

Germanorum instituto, ex quo nemo fines proprios possidebat, agrumque, quem coluerat, quotannis mutabat. Hinc tantum inter lectt. per vices et in vices optio relinquitur.

praestant.) praebent. Cod. Hummel.

laborare contendunt.) Spir. Put. Mon. Vienn. Rhenan. prior. labore cont. Cod. Hummel. et Longol. Nor. Rhenau. recentt. omnes, ut probabilis interpretatio, ita lectio prava. Laborare contendere cum ubertate soli, recte dicitur pro: omni adhibita contentione, labore certare cum ubertate soli, laborem fertilitati adaequare.

separent.) seperent. Cod. Hummel. et Longol. Nor. secent. in marg. cod. Hummel. a manu secunda. sepiant. Rhenan. qui multis fraudi fuit lectione, e negligenter inspecta ed Nor. orta. Errorem primus ostendit Oberl.

et hort.) ut hort. Codd. Hummel. et Longol. Nor. Vienn.

XXVII. Funerum nulla ambitio. Arma cum corpore cremantur, interdum et equus. Caespes erigit sepulcrum. Luctus brevis, memoria longa.

Hactenus de omnium Germanorum origine et moribus: transitus ad instituta moresque singularum gentium.

ut corpora.) et corpora. Put.

struem rogi nec vestibus, nec odoribus cumulant: sua cuique arma, quorundam igni et equus adiicitur. Sepulcrum caespes erigit. monumentorum arduum et operosum honorem, ut gravem defunctis, aspernantur. Lamenta ac lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt. Feminis lugere honestum est; viris meminisse.

Haec in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. Nunc singularum gentium instituta ritusque, quatenus differant, quae nationes e Germania in Gallias commigraverint, expediam.

XXVIII.

Validiores olim Gallorum res fuisse, summus auctorum Divus Iulius tradit; eoque credibile est, etiam Gallos in Germaniam transgressos. Quantulum enim amnis obstabat, quo minus, ut quaeque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes, promis-

monumenta.) monimenta. Vienn.
operosum.) Nor. Vienn. Rhenan. quem recentt. jure sequuti sunt. peroperosum. Spir. Put. Mon. vitium e syllabarum transpositione natum.
ut gravem.) et gravem. unus Beroald. vitio operarum.
ponunt.) deponunt. Cod. Arundel. ex praecedenti tarde.

XXVIII. Galli olim in Germaniam transgressi: Helvetii, Boii. Boiemum. De Osis et Araviscis ambigitur, utrum e Germania in Pannoniam commigraverint, an contra. Treveri et Nervii, Gallicae gentes, Germanorum nomen affectant. Vangiones, Triboci, Nemetes in ripa Rheni, Germanorum populi. Ubii quoque, nunc Agrippinenses, quanquam fidi Romanis, origine superbiunt.

miscuas adhuc, et nulla regnorum potentia diversas? Igitur, inter Hercyniam silvam Rhenumque et Moenum amnes, Helvetii, ulteriora Boii, Gallica utraque gens, tenuere. Manet adhuc Boiemi nomen, significatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus. Sed utrum Aravisci in Pannoniam ab Osis, [Germanorum natione.] an Osi ab Aravis-

diversas.) Cod. Farnes. Spir. Put. rel. ante Rhenan. qui divisas dedit e Nor. idem Longol. et Oberl. Adjectivo diversus, sensu adversi et hostilis, scriptorum nullus saepius usus est nostro, v. Annal. 2, 59. 13, 9. 13, 2. Histor. 4, 16. quod ab hoc tamen loco alienum puto. Quod praecessit, promiscuus, illustrat sequentia: sedes nulla regnorum potentia diversae exquisitius dicuntur regiones, quae nondum certis finibus sint inclusae et a vicinis separatae: ita Tacit. Ann. 15, 56. diversi interrogantur. i. e. separati.

Moenum.) Codd. Farnes. Hummel. Longol. Ed. Nor. inde a Lipsio in editt. omnes jure receptum. Moenim. Cod. Arund. Rhenan. nec hoc plane respuendum: firmatur enim forma e Pomp. Mela. 3, 3, 33. praestat tamen auctoritas cod. Farnes. Moenin. Vienn. Moeni. Spir. Put. Mon. Utrumque nihil diversum a lect. Cod. Arundel.

Boii.) Boi. Nor.

utraque.) veraque. Put.

Boiemi nomen.) Spir. Put. Mon. Lips. Ern. Bred. Seeb. Boiihemi. Cod. Hummel. Boihemi Cod. Longol. Nor. Rhenan. Bip. Oberl. haud deterius. v. Vellej. 2, 109. Boilemi. Vienn. Memorabilis est scriptura cod. Bamb. manet adhuc Boiis e munere nomen, in qua Lipsio latere visum est: manet adhuc Boiiasmi e re nomen. emendatio propter dubiam Strabonis lectionem omni auctoritate destituta.

significatque.) signatque. Cod. Hummel.

Aravisci — ab Araviscis.) Aranisci — ab Araniscis. Put. Mon. Vienn. male.

utrum Aravisci in Pannoniam ab Osis, [Germanorum natione.] an Osi ab Araviscis in Germaniam commigraverint. —) in Pannon. a Boiis — an Boii — Cod. Hummel. a Bois. Cod. Longol. Nor. Lectionem cod. Hummel. cupidius arripuit Longolius, merito ob id reprehensus Oberlino. Tamen locum, ut nunc habet, corruptum esse, medelamque exspectare, nemo non videt. Tacitus enim ipse

viscis in Germaniam commigraverint, quum eodem adhuc sermone, institutis, moribus utantur, incertum est: quia, pari olim inopia ac libertate, eadem utriusque ripae bona malaque erant. Treveri et Nervii circa affectationem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt, tanquam, per hanc gloriam sanguinis, a similitudine et inertia Gallorum separentur. Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Triboci, Nemetes. Ne Ubii quidem, quanquam Romana colonia esse me-

cap. 43. Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos. Hinc non dubitavi, verba Germanorum natione, non tam corrupta, quam textui aliunde obtrusa, obelo notare: a Tacito certe profecta esse nequeunt. Nam quae unica restat explicandi via, Germanorum nationem eam dici, quae habitet intra Germaniae fines, inepto interpolatore, quam scriptore accuratissimo dignior est.

Treveri.) Treviri. Put. Rhenan.

Nervii.) Neruli, Cod. Longol. editt. omnes ante Rhenan. qui primus verum nationis nomen restituit: accedit Cod. Hummel. cujus margini a manu secunda ascripta est lectio deterior. Ceterum Treveri AC Nervii exhibet. edit. Longol.

circa affectationem.) cura affectionem. Nor. circa affectionem. Cod. Hummel. et. Longol. sed v. ad cap. 5.

Germanicae.) Nor. Vienn. omnes post Rhenan. Germaniae. Put. Mon. Affirmat Ernestius, hoc in omnibus ante Rhenan. editt. exstare! negligenter, ut fere solet in Tacito.

ambitiosi.) amitiosi. Nor.

Triboci.) Nor. Vienn. recentt. inde a Rhenan. Treboci. Put. Mon. Ald.

Ne Ubii quidem.) ex egregia Gruteri correctione, siquidem correctio dicenda est justa compendiorum explicatio: Nubii enim praebent Codd. Turic. Longol. et recentior manus in Hummel. editt. Spir. et Nor. Corruperunt hoc alii, ut verum scilicet Ubiorum nomen restituerent, scribentes: Ubii quidem, Put. Mon. Vienn. Rhenan. quos hactenus sequutus Lipsius negationem inseruit ante erubescunt: quantum ad

meruerint, ac libentius Agrippinenses, conditoris sui nomine, vocentur, origine erubescunt, transgressi olim, et, experimento fidei, super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur.

XXIX.

Omnium harum gentium virtute praecipui Batavi, non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis

sensum bene. Longolius tamen, non sine acumine et eruditione, depravatam illam scripturam: Ubii quidem — tueri conatus est. Originem enim ad Agrippinam refert: erubuisse igitur Ubios, se coloniam esse Romanam. Sed repugnant, quae modo affirmaverat Tacitus; Ubios libentius conditoris nomine vocari: nec puto confugisset ad argutias Longolius, vir ingenii et doctrinae dotibus, quam supellectile litteraria instructior, si fontes lectionum adire ipsi licuisset. Nulla enim edit. saec. XV, usus est praeter Nor.

conditoris sui.) conditoris suae. Lipsius, pessime. v. Brunck ad Aristoph. Thesmoph. 432. idem ad Aeschyl. Sept. adv. Theb. 226 et quae ipse congessi in libello de emend. Lex. Graec. ratione vernacule scripto, p. 50. Appositionis genus Romanis perinde ac Graecis satis usitatum. Seyferti Gramm. Lat. T. 2. p. 315. 1230. T. 3. p. 193. 1725.

collocati.) collati. Nor.

custodirentur.) custodirent. Cod. Turic.

XXIX. Batavi omnium harum gentium fortissimi: Rheni insulam colunt, Chattorum quondam populus, nunc Romanorum socii, oneribus publicis exempti, tantum bellis reservati. Mattiacorum gens non in arctiore obsequio. Qui Decumates agros exercent, e Gallorum levissimis conflati, Germanis non accensentur.

Batavi.) Batavii. Cod. Longol. Nor.

nis colunt: Chattorum quondam populus, et seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani Imperii fierent. Manet honos, et antiquae societatis insigne. nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit: exempti oneribus et collationibus, et tantum in usum proeliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reservantur. Est in eodem obsequio et Mattiacorum gens. Protulit enim magnitudo Populi Romani ultra Rhenum, ultraque veteres terminos Imperii reverentiam. Ita sede finibusque in sua ripa, mente animoque nobiscum agunt: cetera similes Batavis, nisi quod ipso adhuc terrae suae solo et coelo acrius animantur. — Non numeramus inter Germaniae populos, quanquam trans

Chattorum.) Put. Vienn. Catthorum. Mon. Cattorum. Nor. Rhen. rec. omn. Quum in capp. seqq. libri optimi et vetustissimi aspirent nomen, nihil novavi. Accedit ut Plinius quoque, Strabo et Ptolemaeus hanc tantum formam agnoscant. Mannertum, Tacito eos Cattos dici affirmantem Geogr. T. 3. p. 233., deceperunt edd. vulg. Vestigia formae nobis receptae hodierno quoque Hassorum nomini inesse monuit H. B. Wenckius, histor. Hass. T. 2. p. 22. s.

populus — transgressus.) populo — transgresso. Mon. lectio per se haud spernenda, sed sublestae fidei.

honos.) honus. Nor. v. ad cap. 13.

antiquae societatis insigne.) antiqua societas insigne. Mon. quod in vetustiore libro repertum velim.

contemnuntur.) Cod. Turic. conteruntur, e sequente atterit natum. Vulgatam contra malam criticorum sedulitatem satis tuitus est Gronovius.

tantum in usum proeliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reservantur.) Offendit insolentior verborum abundantia, quam facili negotio possis evitare, tanquam rescribens, ubi nunc tantum obtinet. Aptior quoque et concinnior evadit loci sententia.

Mattiacorum.) Matiacorum. Vienn.

numeramus.) Spir. Put. Mon. Vienn. numeraverim. Cod. Longol. Nor. Rhenan. cui recentt. ad unum omnes accesserunt; Longolius addens: „quod noster amat. 2. 5." prave

trans Rhenum Danubiumque consederint, eos, qui Decumates agros exercent. Levissimus quisque Gallorum et inopia audax, dubiae possessionis solum occupavere. Mox limite acto promotisque praesidiis, sinus Imperii et pars Provinciae habentur.

XXX.

Ultra hos Chatti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac palustribus locis, ut ceterae

judicio. Multum differt apud Tacitum, utrum plurali, an singulari primarum personarum numero utatur: illud si fit, ad omnes Romanos, praecipue ad aequales Taciti, extenditur oratio. v. cap. 8. Vidimus Veledam 27. haec in commune accipimus. 34. tentavimus — consensimus. 33. amor nostri. 37. occasio discordiae nostrae. cf. Agric. 2. Legimus — dedimus — perdidissemus. 3. sumus — venimus. et quae contra Ernestium bene monuit Oberl. ad Agric. 43. nobis nihil comperti affirmare ausim. Quod vero ad hunc Germaniae locum, quis unquam crediderit, Tacitum non sine dubitatione negaturum, Gallorum levissimos Germanos esse! Volebat dicere, Romanorum neminem nebulones illos, etsi Germaniae partem incolentes, Germanis accensere: nec aliud quid dixit, si revocamus, quod libri optimi praebent.

Decumates.) Decumathes. Nor.

limite acto.) limite aucto. Lipsius, male. v. egregiam Gronovii ad h. l. observ.

pars.) par. Nor.

XXX. Chattorum sedes per Hercynium saltum. Duriora Chattorum corpora, insignis in rebus militaribus ratio et sollertia. Robur in pedite.

Chatti.) Put. Mon. Vienn. Chacti. Nor.

Hercynio.) Hercinio. Nor. Put.

inchoant.) incoant. Nor.

terae civitates, in quas Germania patescit; durant siquidem colles, paulatim rarescunt, et Chattos suos saltus Hercynius prosequitur simul atque deponit. Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus, et maior animi vigor. Multum, ut inter Germanos, rationis ac sollertiae: praeponere electos, audire praepositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare; quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplinae concessum, plus reponere in duce, quam in exercitu. Omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quo-

durant: siquidem colles paulatim rar.) Cod. Longol. Spir. Put. Mon. Vienn. rel. ante Rhenan. Rhenanus distinctionem post durant sustulit, post patescit plenius interpunxit, adverbioque paulatim copulam encliticam addidit, quas mutationes editt. rec. cupide amplexi sunt. Unus Ernestius veterem quoque scripturam bonum sensum facere intellexit: desiderat tamen copulam ante: non ita effusis, quod sopitatori Ciceronis facile condonaveris.

Chattos.) Nor. Put. Mon. Vienn.

Hercynius.) Hercyninus. Mon. Hercinius. Nor. Put.

occasiones.) necessitates. Nor. longe deterius.

ratione disciplinae concessum.) Spir. Nor. Put. Mon. Vienn. Rhenan. In alia omnia discedit, quod Lipsius in cod. Bamberg., Gronovius in Arund., Longolius in Hummel. reperierunt: Romanae disciplinae concessum. quod si praebuisset cod. Farnes. vel Turicensis, ei locum non inviderem, quem auctoritate Lipsii et Gronovii hactenus occupavit. Unus Longolius vett. ed. lectionem restituit: recte puto. Nam nec sententia vulgatae satis placet: omni enim omnium gentium disciplinae militari hoc erat proprium, plus reponere in duce, quam in exercitu, nec tantum Romanae: quod rarissimum, intelligo de Germanis. Quas antea enumeraverat virtutes bellicas, eae apud alios quoque Germaniae populos haud erant incognitae: hoc postremum vero jure rarissimum dixit: non enim memoratur, nisi de Chattis.

in pedite.) impedite. Vienn.

quoque et copiis onerant. Alios ad proelium ire videas, Chattos ad bellum: rari excursus et fortuita pugna. Equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere. velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior constantiae est.

XXXI.

Et aliis Germanorum populis usurpatum, rara et privata cuiusque audentia, apud Chattos in consensum vertit; ut primum adoleverint, crinem barbamque summittere, nec nisi hoste caeso, exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. Super sanguinem et spolia revelant frontem, seque tum demum

onerant.) Nor. scriptura unice vera, a Lipsio recepta in textum, recentioribusque omnibus probata. Exstat quoque in cod. Hummel. et Longol. Reliqui: coonerant. vocabulum alias inauditum.

Chattos.) Nor. Put. Mon. Vienn. Rhenan. Ald.

XXXI. Instituta Chattorum ad bellum spectantia. Iuvenes non nisi hoste caeso crinem barbamque tondunt. Fortissimus quisque ferreum insuper annulum velut vinculum gestat, donec se caede hostis absolvat. Nec in pace vita mitior, nec ulli domus aut ager.

usurpatum.) Hic interpungunt Put. Mon. Vienn. Rhenan. Ald. Saniorem rationem servavit Nor., restituit Lipsius.

rara et privata cujusque audentia.) Unus Turic.: raro, et priv. cujusv. aud. quod nunc in Seebodii quoque editione comparet: mihi quidem adverbium explicatio adjectivi ideoque rejiciendum videtur.

Chattos.) Nor. Put. Vienn. Cattos. Mon.

in consensum.) in conventum. Cod. vet. Groslotii.

frontem.) frontes: Put. Rhenan. revelant vultum frontem. Cod. Longol.

terae civitates, in quas Germania patescit; durant siquidem colles, paulatim rarescunt, et Chattos suos saltus Hercynius prosequitur simul atque deponit. Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus, et maior animi vigor. Multum, ut inter Germanos, rationis ac sollertiae: praeponere electos, audire praepositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare; quodque rarissimum, nec nisi ~~ratione~~ disciplinae concessum, plus reponere in duce, quam in exercitu. Omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quo-

durant: siquidem colles paulatim rar.) Cod. Longol. Spir. Put. Mon. Vienn. rel. ante Rhenan. Rhenanus distinctionem post durant sustulit, post patescit plenius interpunxit, adverbioque paulatim copulam encliticam addidit, quas mutationes editt. rec. cupide amplexi sunt. Unus Ernestius veterem quoque scripturam bonum sensum facere intellexit: desiderat tamen copulam ante: non ita effusis, quod sopitatori Ciceronis facile condonaveris.

Chattos.) Nor. Put. Mon. Vienn.

Hercynius.) Hercyninus. Mon. Hercinius. Nor. Put.

occasiones.) necessitates. Nor. longe deterius.

ratione disciplinae concessum.) Spir. Nor. Put. Mon. Vienn. Rhenan. In alia omnia discedit, quod Lipsius in cod. Bamberg., Gronovius in Arund., Longolius in Hummel. reperierunt: Romanae disciplinae concessum. quod si praebuisset cod. Farnes. vel Turicensis, ei locum non inviderem, quem auctoritate Lipsii et Gronovii hactenus occupavit. Unus Longolius vett. ed. lectionem restituit: recte puto. Nam nec sententia vulgatae satis placet: omni enim omnium gentium disciplinae militari hoc erat proprium, plus reponere in duce, quam in exercitu, nec tantum Romanae: quod rarissimum, intelligo de Germanis. Quas antea enumeraverat virtutes bellicas, eae apud alios quoque Germaniae populos haud erant incognitae: hoc postremum vero jure rarissimum dixit: non enim memoratur, nisi de Chattis.

in pedite.) impedite. Vienn.

quoque et copiis onerant. Alios ad proelium ire videas, Chattos ad bellum: rari excursus et fortuita pugna. Equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere. velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior constantiae est.

XXXI.

Et aliis Germanorum populis usurpatum, rara et privata cuiusque audentia, apud Chattos in consensum vertit; ut primum adoleverint, crinem barbamque summittere, nec nisi hoste caeso, exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. Super sanguinem et spolia revelant frontem, seque tum demum

onerant.) Nor. scriptura unice vera, a Lipsio recepta in textum, recentioribusque omnibus probata. Exstat quoque in cod. Hummel. et Longol. Reliqui: coonerant. vocabulum alias inauditum.

Chattos.) Nor. Put. Mon. Vienn. Rhenan. Ald.

XXXI. Instituta Chattorum ad bellum spectantia. Iuvenes non nisi hoste caeso crinem barbamque tondunt. Fortissimus quisque ferreum insuper annulum velut vinculum gestat, donec se caede hostis absolvat. Nec in pace vita mitior, nec ulli domus aut ager.

usurpatum.) Hic interpungunt Put. Mon. Vienn. Rhenan. Ald. Saniorem rationem servavit Nor., restituit Lipsius.

rara et privata cujusque audentia.) Unus Turic.; raro, et priv. cujusv. aud. quod nunc in Seebodii quoque editione comparet: mihi quidem adverbium explicatio adjectivi ideoque rejiciendum videtur.

Chattos.) Nor. Put. Vienn. Cattos. Mon.

in consensum.) in conventum. Cod. vet. Groslotii.

frontem.) frontes. Put. Rhenan. revelant vultum frontem. Cod. Longol.

mum pretia nascendi retulisse, dignosque patria ac parentibus ferunt. Ignavis et imbellibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper annulum, ignominiosum id genti, velut vinculum gestat, donec se caede hostis absolvat. Plurimis Chattorum hic placet habitus: iamque canent insignes, et hostibus simul suisque monstrati. Omnium penes hos initia pugnarum: haec prima semper acies, visu nova. Nam ne in pace quidem vultu mitiore mansuescunt. Nulli domus, aut ager, aut aliqua cura. prout ad quemque venere, aluntur: prodigi alieni, contemptores sui, donec exsanguis senectus tam durae virtuti impares faciat.

XXXII.

nascendi.) noscendi. Nor. Vienn.
retulisse.) rettulisse. Put. Mon.
ignominiosum.) ignominosum. Vienn.
Chattorum.) Nor. Put. Mon. Vienn.
canent — monstrati.) cavent — monstrari, Mon. Vienn. lepido errore, quem ed. Rhagiana propagavit. Ceterum haec verba plurimis virorum doctorum, Gronovii, Nic. Heinsii, Ernestii, Bipontinorum, sollicitata sunt conjecturis, quas referre piget. Mihi difficilius videtur, locum non intelligere, quem emendationes Gronovii et Ernestii recte explicant. Quamvis jam senes facti, ne ita quidem recusant, crinem barbamque summittere, annulum gestare, suorumque et hostium oculos in se convertere. Nihil nec aptius, nec planius.
vultu.) cultu. Cod. Arund. Vienn. placuit Pichenae, et praestat fortasse vulgatae, cujus difficultates seuserat Ernestius, in vultum mitiorem mansuescunt, proponens. Si tamen vera est lectio vulgata, vultu mitiore mansuescunt, Graecorum more dictum est praesumptione rei posterius exprimendae. v. Hermann. ad Eur. Suppl. 1030. Schaefer ad Gregor. Cor. p. 533. et ad Soph. Oed. Tyr. 57. Lobeck. ad Soph. Aj. p. 299. Seidler. ad Eurip. Elect. 442. Gierig. ad Ovid. Metam. 1, 32. 303. Wunderl. ad Tibull. 1, 3, 51.
visu nova,) quippe quae apud solos Chattos conspecta sit. cf. cap. 43. sub fin. Gronov. non nova. Freinshem. nota. Hiller. saeva. Bernegger. torva, quod Bipont. et Oberl. admiserunt in textum: languida omnia et inepta.
aut ager,) omisit Put.

XXXII.

Proximi Chattis certum iam alveo Rhenum, quique terminus esse sufficiat, Usipii ac Tencteri colunt. Tencteri, super solitum bellorum decus, equestris disciplinae arte praecellunt. nec maior apud Chattos peditum laus, quam Tencteris equitum. Sic instituere maiores, posteri imitantur. hi lusus infantium, haec iuvenum aemulatio, perseverant senes. Inter familiam et Penates et iura successionum equi traduntur: excipit filius, non, ut cetera, maximus natu, sed prout ferox bello et melior.

XXXIII.

Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamavos et Angrivarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis vicinarum consensu natio-

XXXII. Usipii et Tencteri. Tencteri equestris disciplinae arte praecellunt. Equi praecipua hereditatis pars.

Chattis.) Nor. Put. Mon. Vienn.

Usipii.) Usipi. Nor. Vienn.

Tencteri.) Teneteri. Put. Mon. Teucteri. Vienn. iidemque libri mox Teneteris, Teucteris.

Chattos.) Nor. Put. Mon. Catthos. Vienn.

non ut cetera.) Cod. Hummel. et Longol. Nor. Rhenan. recentt. non ut extat. Cod. Turic. quod placuit Ernestio. extera. Put. Vienn. extra. Mon. Rhag.

ferox bello et melior.) Acidalii transpositionem inutilem: ferox et bello melior, refutavit Longolius, testem pro hac loquendi ratione adducens Cort. ad Sallust. Jug. 13, 1. nuper ejusdem hyperbati probabilia aliquot exempla attulit Huschkius in Wolfii Anal. 1. p. 173. sq.

XXXIII. Bructeris pulsis ac penitus excisis, Chamavi et Angrivarii sedes eorum occuparunt. Unica jam Imperii Romani salus in Germanorum discordia.

Tencteros.) Theneteros. Put. Teneteros. Mon. Teucteros. Vienn.

nationum, seu superbiae odio, seu praedae dulcedine, seu favore quodam erga nos Deorum. Nam ne spectaculo quidem proelii invidere, super sexaginta millia, non armis telisque Romanis, sed, quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. — Maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui: quando in urgentibus Imperii fatis nihil iam praestare Fortuna maius potest, quam hostium discordiam.

XXXIV.

Angrivarios et Chamavos a tergo Dulgibini et Chasuari cludunt, aliaeque gentes, haud perinde me-

ne spectaculo.) se spect. Mon.

at certe.) ac certe. Put. Mon.

quando in urgentibus Imperii fatis.) Admodum fluctuat loci scriptura. Quod edidi, optimis testibus confirmatur, cod. Turic. Spir. Put. Mon. Vienn. praepositionem omittunt codd. Hummel. et Longol. ed. Nor. Rhenan. quem recentt. fere omnes sequuti sunt, Ern. Oberl. Bred. Seeb. alii, eodem fere sensu, sed structura minus exquisita. Alius est in participio dissensus: in vergentibus. Cod. Arund. vergentibus „scriptus liber" apud Lipsium, quae nemo praeferenda putabit post notam Ernestii. Minus quoque probabilis est scriptura: urgentibus IAM Imp. fat. ed. Nor. Vienn. IAM urgentibus denique praebet „ed. vet." apud Gronov. qui novam hanc e pluribus concinnat lectionem: quando jam vergentibus Imp. fat. frustra, nec sine magno loci detrimento.

XXXIV. Dulgibini. Chasuari. Frisii majores minoresque Rhenum et Oceanum accolunt. Oceanus tentatus quidem Romanis, sed parum cognitus. Columnae Herculis boreales. Post Drusum Germanicum nemo inquisivit in Oceanum.

Angrivarios.) Angrivorios. Mon.

Chasuari.) Thasuarii. Nor.

cludunt.) alii Longolio teste: claudunt. Equidem nullum librorum dissensum deprehendi nec hoc loco, nec cap. 45. post med. Altera tamen forma per diphthongum ob-

memoratae. A fronte Frisii excipiunt. Maioribus minoribusque. Frisiis vocabulum est ex modo virium. utraeque nationes usque ad Oceanum Rheno praetexuntur, ambiuntque immensos insuper lacus, et Romanis classibus navigatos. Ipsum quin etiam Oceanum illa tentavimus. et superesse adhuc Herculis columnas, fama vulgavit: sive adiit Hercules, seu, quicquid ubique magnificum est, in claritatem eius referre consensimus. Nec defuit audentia Druso Germanico: sed obstitit Oceanus, in se simul atque in Herculem inquiri. Mox nemo tentavit: sanctiusque ac reverentius visum, de actis Deorum credere, quam scire.

XXXV.

tinet cap. 40. 43. 44. in vita Agricolae ubique. Similiter variant Plinius major, Suetonius, alii: si quidem libri consentiunt, nihil mutem. v. quoque ad cap. 13.

Frisiis.) Frisis. Nor.

utraeque nationes.) utraeque nat. Cod. Turic.

illa.) illac. Cod. Turic. et ed. Vienn. quod primo obtutu possit arridere. Sed v. Ernest. et Oberl. ad Annal. 2, 17. ad Histor. 5, 8. et 5, 18.

tentavimus.) tentaverim. Nor. ubi sciole idem accidisse videtur, quod cap. 29. criticis.

sive adiit Herc., seu —) seu adiit Herc., seu — Put. Mon. Vienn. male. v. Tacitum ipsum Histor. 2, 78. Frequentior apud Caesarem haec est particularum permutatio.

magnificum.) magnum. Cod. Longol. Cod. vet. Groslotii. Nor. probantibus Longol. et Oberl. mihi vix tolerandum videtur iuxta vulgatam lect. Agric. 30. omne ignotum pro magnifico est.

Consensimus.) Cod. Longol. edd. ab Ernest. inspectae omnes, nec aliud quid, quas ipse adhibui. Ern. Oberl. Bred. Seeb. Consuevimus. „Scriptus liber" ap. Lips. Cod. Hummel. Cod. vet. ap. Groslot. Pichena. Bernegg. Bipont. quantum ad sensum deterius, minusque certum. Consensimus de Graecis Romanisque intelligo: Convenit nobis cum Graecis, quod ubique magnificum est, in claritatem Herculis conferre. Inest igitur notio antiquae consuetudinis, alteri scripturae haud perinde consensus.

XXXV.

Hactenus in Occidentem Germaniam novimus. In Septentrionem ingenti flexu redit. Ac primo statim Chaucorum gens, quanquam incipiat a Frisiis, ac partem littoris occupet, omnium, quas exposui, gentium lateribus obtenditur, donec in Chattos usque sinuetur. Tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed et implent: populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit iustitia tueri. sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique, nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur: id praecipuum virtutis ac virium argumentum est, quod, ut superiores agant, non per iniurias assequuntur. Promp-

XXXV. **Populi Germaniae septentrionales. Chauci ingens terrarum spatium tenent et implent, populus inter Germanos nobilissimus.**

Hactenus — novimus.) Bredovius, Longolio obsequutus, post haec demum verba novum caput incipit. Parum sibi constabant initio cap. 41. nec sane operae pretium, in talibus quicquam mutare.

ac primo.) a **primo.** Cod. Longol. Longolio non displicuit.

Frisiis.) **Frisis.** Nor.

Chattos.) Nor. Put. Mon. Vienn.

Tam immensum.) **Et tam. imm.** Mon.

sed et implent.) **sed implent.** Nor. quod non repudiandum.

id praecip. virt. ac vir. arg.) Nor. Put. Mon. Vienn. **idque** primus quantum scio Rhenanus, quem tacite sequuti sunt recentt. omn. nihil de scripturae differentia monentes, ita ut nihil dubitem, quin Spirensis quoque et libri Mss idem exhibeant, quod, a Seebodio optime revocatum, certissimis auctoritatibus textus noster debet. **praecipuum** post virium repetitum est in Put. Mon. Vienn.

per injurias.) **per injuriam.** Nor. **per injuria.** Mon.

Prompta tamen omnibus arma, ac, si res poscat exercitus, plurimum virorum equorumque; et quiescentibus eadem fama.

XXXVI.

In latere Chaucorum Chattorumque Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt. idque iucundius, quam tutius fuit: quia inter impotentes et validos falso quiescas; ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita qui olim

ac, si res poscat exercitus, plurimum vir. eq.) Veram hanc loci distinctionem praebet ed. Viennensis, quam medicinam loco vexato adhibendam esse Walchius quoque intellexit, Emendatt. Livian. p. 124., et post eum Seebodius. Vulgo: ac, si res poscat, exercitus: plurimum v. e. Unus Cod. Turic. exercitus plurimus v. e. Ernestianae certe conjecturae: exercitus plurium v. e., longe praeferendum.

XXXVI. Cherusci et Fosi a Chattis post nimiam pacem victi.

Chattorumque.) Catthorumque. Nor.

marcentem.) alteram lect. marcescentem nescio unde attulit Longol.

iucundius.) iocundius. Codd. Hummel. Longol.

impotentes.) impotentis. Nor. impetentes. Cod. Turic. Praeterea post validos plenae interpunctionis signum reperi in Nor. quod fortasse nonnullis placeat. haud accedo. Verba postrema: modestia — sunt, nisi addideris: ubi manu agitur, sensu plane erunt destituta.

agitur.) agetur. Aldus.

nomina superioris.) nomine superioris. Spir. Nor. Mon. nomine superiores. cod. Turic. In varias sententias discesserunt editores: mihi, quae hucusque in impressis obtinuit scriptura, unice vera videtur. Cherusci, dum superiores agebant justi aequique vocati, jam sequiores facti inertes stultique, Chatti victores sapientes habentur. Et ita accidere solet, ubi manu agitur, ubi cuncta vi belloque discernuntur: apud hos modesti probique nomen de victore tantum poterit adhiberi quum infirmiores contrarium esse nequeant.

olim boni aequique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur, Chattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. Tacti ruina Cheruscorum et Fosi, contermina gens, adversarum rerum ex aequo socii sunt, quum in secundis minores fuissent.

XXXVII.

Eundem Germaniae sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens: ve-

Chattis.) Nor. Put. Mon. Vienn.

tacti ruina.) Codd. mss. et edd. vett. Chatti ruina sine sensu Turic. tracti ruina Hummel. quod conjectura assequutus erat Pichena, prob. Burm. ad Lucan. 7, 655. Ernest. Bip. Oberl. Bred. Gruterus librorum scripturam ita tuetur, ut a fulmine repetat explicationem, cui refragatur additum; ruina. Rectius haec de contagio quasi dicta accepit Longolius, laudans Cortium ad Sall. Catil. 10, 6. Cheruscorum ruina attigit Fosos, eos secum praecipites dedit, eodem fere sensu, sed exquisitius insolentiusque ad verba.

contermina.) conterminata. Mon.

socii sunt.) Editt. ante Lipsium omnes: ipse expunxit copulam, tacite ut saepius fecit, nisi forte errore operarum. Magis reprehendendi sunt recentiores, quorum nemo lectionem antiquam ne annotavit quidem, nedum quod par erat, revocavit in ordinem.

XXXVII. Cimbri proximi Oceano, parva nunc civitas: antiquae magnitudinis monumenta. Primi Germanorum in notitiam venerunt Romanis. Per annos jam DCXL vincitur Germania. Nulla alia Imperio Romano gens nec terribilior, nec exitiosior. Clades Romanorum a Germanis acceptae recensentur. Falsi de iis triumphi.

sinum.) Cod. Hummel. Spir. Put. Mon. Vienn. Rhenan. et e recentt. Longol. Bipont. Oberl. Bred. situm. Codd. Vat. Arund. Longol. ed. Nor. Ern. Seeb. quod ne melioribus quidem testibus contra reliquos concesserim. Quis enim Latine dixerit: situm tenere! Sinus vero idem, pars est Germaniae Septentrionem versus ingenti flexu recedens, de qua inde a cap. 35. loquitur Tacitus: sinum Imperii eodem sensu extremam Imperii partem dixit cap. 29. extr.

Cimbri.) Cymbri. Put. Mon.

veterisque famae lata vestigia manent, utraque ripa castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis, et tam magni exitus fidem.

Sexcentesimum et quadragesimum annum Vrbs nostra agebat, quum primum Cimbrorum audita sunt arma, Caecilio Metello ac Papirio Carbone Coss. Ex quo si ad alterum Imperatoris Traiani Consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur. tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi aevi spatio multa invicem damna. Non Samnis, non Poeni, non Hispaniae Galliaeve, ne Parthi quidem saepius admonuere. quippe regno Arsacis acrior est

Lata vestig.) Codd. Vat. Hummel. Long. ed. Put. Mon. Vienn. Sed Rhenan. ex ingenio, late, nonnullis probatum, a Longolio vel receptum. Falsam in his aucupantur elegantiam: late vestigia manent. Ipsam enim monumentorum latitudinem et amplitudinem volebat Tacitus: quae vestigia per magnum terrarum spatium dispersa comparere, sequentia demum indicant.

exitus.) exercitus. Lipsius ex conj. Vulgatam minime de Cimbrorum fatis cum Bipontinis, sed de magna illa et prodigiosa totius gentis migratione accipiendum esse, bene docuit Oberlin. De re ipsa v. Jo. Mulleri Bellum Cimbricum 2, 1. T. 12. p. 266. ed. Tubing. Mannerti Geogr. Graec. et Rom. T. 3. p. 31. sq. Bakius ad Posidon. Rhod. p. 119.

Cimbrorum.) Cymbrorum. Put. Mon.

quum primum Cimbrorum audita sunt arma.) quae transposuit ed. Vienn. quum primum audita sunt Cimbrorum arma, tanto intolerabilius, quanto gravior splendidiorque vulgaris verborum compositio. Unus Seebodius: quum — audita SINT arma, codicibus et edd. vett. renitentibus, ablegandus ille ad exempla a Walchio Emend. Livian. p. 184. collecta.

Papirio.) Sapino. Nor.

si ad alterum.) Particula si desideratur in Nor.

Consulatum.) conventum. Nor.

Samnis.) Samnites. unus cod. Turic. male.

admonuere.) admovere sc. exercitum, conj. Rhenan. praebet Turic. lectio frigida et insulsa. De explicanda vulgata

est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis, quam caedem Crassi, amisso et ipso Pacoro, infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit? At Germani, Carbone, et Cassio, et Scauro Aurelio, et Servilio Caepione, Cn. quoque Manlio fusis, vel captis, quinque

ambigunt: Lipsius: admonemur in felicitate sortis humanae per adversa, hoc Parthi nobis fecere. Longolius: scil. cladibus. sic admonere telo, verberibus, flagro. Prius vix recte, posterius difficultates loci non attigit. Mihi subintelligendum videtur: SVI, quod Nic. Heinsius ad Ovid. Heroid. 3, 133. textui obtrudendum censuit: Heinsius, ut alias sagacissimis veterum sospitatoribus annumerandus, ita in Tacito restituendo parum felix. Simillimus est usus verbi increpare. Dial. de orat. 5. sin proprium periculum increpuit, ubi v. Lipsium. Idem fere de loco Corneliano statuit Jo. Frid. Gronov. Diatrib. in Stat. Silv. p. 501. Lips.

amisso et ipso Pacoro.) Cod. Turic. ed. Vienn. Ern. Longol. Oberl. Seeb. amisso et ipso et ipse Pac. Spir. Nor. Put. Mon. διττογραφέμενον. Hnic Rhenanus, minus certa praeferens: amisso et ipse Pac. quod Gronovio quoque et Bredovio placuit. Bipontini, vera duplicis scripturae ratione haud perspecta: amisso ipso Pacoro et ipse. quo infelicius quid excogitari non poterat. Placet sane mutatio a Rhenano facta: tamen idonea non exstat caussa, a librorum auctoritate recedendi.

objecerit.) objecerunt. Nor.

Cn. quoque Manlio.) Ern. Bip. Oberl. Bred. Reliqui omnes: M. quoque Manlio. Liv. 6, 20. gentis Manliae decreto cautum est, ne quis deinde M. Manlius vocaretur. Confugit Conringius ad ἁμάρτημα μνημονικὸν a Tacito commissum! Facilius concedas Eutropio. 5, 1. ubi idem in omnibus libris haeret error. Rectius Oros. hist. 5, 16. De frequentiore horum praenominum confusione ante Ernestium egerunt Drakenb. ad Liv. epit. 67. Cort. ad Sallust. Jug. 114, 1. Duker ad Flor. 3, 3. cf. Clav. Cicer. p. 202. In talibus historiae potior fides habenda est quam membranis, nisi ipsi quem tractas auctori fidem derogatam velis. Jo. Mullerus bell. Cimbr. 5, 4. p. 374. Marcum dixit Manlium, nec interpres ejus vernaculus vidit errorem.

Manlio.) Mallio. Nor. res notissima.

que simul Consulares exercitus Populo Romano, Varum tresque cum eo Legiones etiam Caesari abstulerunt.... Nec impune C. Marius in Italia, Divus Iulius in Gallia, Drusus ac Nero et Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Caesaris minae in ludibrium versae. Inde otium, donec occasione discordiae nostrae et civilium armorum, expugnatis Legionum hibernis, etiam Gallias affectavere: ac rursus pulsi, inde proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt.

XXXVIII.

Nunc de Suevis dicendum est, quorum non una, ut Chattorum Tencterorumve, gens. maiorem enim Germaniae partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quanquam in commune Suevi vocentur. Insigne gentis, obliquare crinem nodoque substringere. Sic Suevi a ceteris Germanis; sic Suevorum ingenui a servis separantur. In aliis gentibus, seu cognatione aliqua Suevorum, seu, quod sae-

Consulares.) consularis. Nor. Put. Mon. Vienn.
Populo Romano.) populi Romani. Nor. lectio haud inelegans.
tresque.) trisque. Nor.
rursus pulsi, inde prox. temp.) Put. Mon. Vienn. Seeb. recte. Bipontinis perperam tribuit Bredovius. Hi cum recentt. Rhenanum asseclati: rursus pulsi inde, prox. temp.

XXXVIII. Suevi, plures gentes, foederibus, institutis et moribus inter se iunctae: Suevorum insigne: crines obliquati et nodo substricti.
Chattorum.) Nor. Put. Mon. Catthorum. Vienn.
Tencterorumve.) Teutererumve. Mon.
quanquam.) quam. Nor.
obliquare.) obligare. Cod. Hummel. Sed v. Salmas. ad Solin. p. 535.
In aliis.) Sic in aliis. vitio operarum in Rhenan. priore: unde per omnes editt. ante Pichenam propagatum est.

saepe accidit, imitatione, rarum, et intra iuventae spatium; apud Suevos usque ad caniciem horrentem capillum retro sequuntur, ac saepe in ipso solo verti-
ti-

saepe accidit.) saepe, casu nonnullis omissum, e cod. Arund. editt. Spir. et Nor. bene restituit Ernestius. Libri vett. quos inspexi omnes tuentur particulam.

horrentem capillum retro sequuntur.) Libri omnes et Mss. et impressi. Locus est e difficillimis et fortassse corruptus: satis enim offendunt illa: capillum retro sequi. Varie igitur tentarunt verba: Jos. Scaliger: h. capillum retro sequus, ac saepe in ipso solo vertice ligant, Theod. Marcilius: h. c. retrorsum ac saepe in ipso solo v. l. — sed utrumque pessumdat sensum. Solent capillum a tergo demittere: nonnulli colligunt quoque crines, eosque in vertice religant, quod cultum quendam exquisitiorem prodit. Melius igitur Bipontini: retro comantur, melius quoque Seebodius: horrentem capillum retro serunt. Sed illud nimium quantum recedit a ductibus litterarum: hoc quin de capillis recte dicatur, adhuc dubito. Tollat velim scrupulum V. D. in commentariis, quos promisit. Fateor tamen, mihi ne de necessitate quidem emendationis persuasum esse. Tacitus ipse, Annal. 3, 69. sequi usurpavit sensu verbi indulgere: adulationem longius sequitur. Et crinibus indulgere recte de iis dixeris, qui alunt comam eaque promittenda gaudent. Certe contorte explicare, quam temere emendare malui.

in ipso solo vertice.) Spir. Put. Mon. Vienn. Rhen. Ern. Longol. Bred. „Forte variarunt codd. inter lectt. ipso et solo, et dein utraque in textu est conjuncta, quod jam aliquoties accidisse in Tacito vidimus.“ Ernest. quae quodammodo vera puto: sed non tam de duplice loci scriptura, quam de interpretatione textui obtrusa cogitandum: in solo vertice, Cod. Longol. Nor. expulsa vera lectione remansit glossa: tamen accesserunt recentt. nonnulli. Ad sensum nihil refert, utrum praetuleris: sed paulo exquisitius, in ipso vertice, dixit, quam in solo. Ita saepissime αὐτὸς pro μόνος Victor. var. lectt. 23, 23. Hemsterh. ad Lucian. Dial. Deor. 10, 2. p. 250. Valckenar ad Eurip. Phoen. 1235. Brunck. ad Theocrit. 18, 12. F. A. Wolf ad Demosth. Leptin. p. 288. Hermann. in Comm. soc. philol. Lips. T. 1. p. 48. Graefius ad Meleag. 54, 5. Quum tamen et Graeci utrumque interdum conjungant.

tice ligant. Principes et ornatiorem habent. ea cura formae, sed innoxiae. neque enim ut ament amenturve; in altitudinem quandam et terrorem adituri bella compti, ut hostium oculis ornantur.

XXXIX.

cujus rei exempla suppeditabunt Toupius ad Longin. p. 428. et 526. Weisk. Valckenar. ad Callim. fragm. p. 28. Ruhnken. ad Tim. Lex. p. 228. F. A. Wolf ad Demosth. Lept. p. 303. Bast. epist. crit. p. 135. Schaefer ad Soph. Oed. Col. 1527. quae quum ita sint, in Tacito quicquam mutare dubitavi; Dial. de orat. cap. 5. sed et ipsum solum apud vos arguam. Copulam enim et hic et paulo ante: Et ego enim, tuebitur observatio Tursell. de part. p. 222.

ligant.) religatur. Cod. Longol. Nor. Ex utraque lectione tertiam effecit Rhenan. religant. receperunt Ern. Longol. Bip. Oberl. Et sane dixerunt ita: comam religare Horat. carm. 1, 5, 4. 2, 11, 24. 4, 11, 5. et Sil. Ital. 2, 77. Sed nec alterum, ligare comam, exemplo caret, Tibull. 1, 6, 67. quamvis non vitta ligatos impediat crines. Lucan. 3, 280.

Hinc Essedoniae gentes, auroque ligatas
Substringens, Arimaspe, comas.

Hinc de hariolatione Rhenani vix sermo esse debebat: critici partes hic non optime tuitus est, ut e scriptura Norimbergensi adscisceret, quod erat spernendum; sperneretque, quod poterat adsciscere, terminationem passivam. Haec enim generum permutatio, ut supra docuimus, familiaris est Tacito; et quam facile poterat evanescere syllaba finalis VR, is intelligit, quicunque libros Mss tractaverit: ita ut a scriptura: ligatur, non plane abhorream. Contra lectio religatur primam syllabam e praecedente finali traxit.

ornatiorem.) hornatiorem. Nor.

innoxiae.) Hanc librorum omnium scripturam corruperunt Muretus et Acidalius, innoxie rescribentes, adsentientibus Gron. Ern. Bip. Bred. Seeb. Formam ipsam, cui exquisitiorem hanc adhibebant curam, jure dixit innoxiam, quippe quae nihil noceret morum integritati et sanctitati: hostium enim oculis terrorem incussuri comabantur. — Alterum misere languet.

ornantur.) armentur. Cod. Bamberg. armantur Cod. Longol. Nor. quod placuit Longolio: Ernestius ab alient

XXXIX.

Vetustissimos se nobilissimosque Suevorum Semnones memorant. Fides antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in silvam, auguriis patrum et prisca formidine sacram, omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coeunt, caesoque publice homine celebrant Barbari ritus horrenda primordia. Est et alia luco reverentia. nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor et potestatem numinis prae se ferens. si forte prolapsus, attolli et insurgere haud li-

manu insertum putat compti. Bipontini denique locum ita refingunt: ea cura formae (sed innoxia. neque enim ut ament amenturve, sed adituri bella.) in altitudinem quandam et terrorem comti, ut hostium oculis ornentur. Retinui distinctionem Bredovii, qua admissa nihil residebit difficultatis.

XXXIV. Suevorum vetustissimi et nobilissimi Semnones. Populi Suevorum certis temporibus, legationibus coeuntes, arcana sacra celebrant in silva quadam. Alia hujus loci religio. Numerus Semnonum efficit, ut se Suevorum caput credant.

Semnones.) Semones. Nor. Senones. Put. Mon. Vienn. Sed v. Lipsium ad h. l. Duker ad Flor. 4, 12. Mannert Geogr. Graec. et Rom. T. 3. p. 379.

stato.) statuto. Put. Mon. Vienn.

patrum.) patrium. Nor.

sacram.) sacrum. Nor. sacra. Vienn.

omnes eiusdem.) omnes ejusdemque. Nor. omnis ejusdem. Spir. Put. Vienn. omnes nominis ejusdemque. Cod. Arundel.

coeunt.) Nor. Rhenan. recentt. Quod praebent Spir. Put. Mon. Vienn. cohaerent, nemo defendet.

horrenda.) horrentia. Cod. Longol. Nor.

prolapsus.) Cod. Turic. Spir. Put. Mon. Vienn. prolapsus est. Nor. et post Rhenan. omnes. Unius Norimbergensis auctoritatem sequi nolui, quum verba copulam non flagitent.

licitum: per humum evolvuntur. Eoque omnis superstitio respicit, tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus, cetera subiecta atque parentia. Adiicit auctoritatem fortuna Semnonum: centum pagis habitant; magnoque corpore efficitur, ut se Suevorum caput credant.

XL.

Contra Langobardos paucitas nobilitat, quod plurimis ac valentissimis nationibus cincti, non per ob-

humum.) humanum. Put.

adjicit.) Spir. adicit. Nor. aducit. Cod. Turic. Put. adducit. Mon. Vienn. Postremum per se quidem possit ferri: sed ex ipso lectionum ordine facile intelliges, hoc a manu correctoris effectum esse e corrupta lectione Spirensi, quam primus restituit Rhenan.

auctoritatem.) auctorem. Put. Vienn.

Semnonum.) Semonum. Nor. Sennonum. Put. Mon. Vienn.

habitant.) Ernestii conjecturam cum Seeb. recepi. Habitantur. Nor. Put. Mon. Vienn. sine sensu: recte enim monuit Ern., nominativum loci desiderari: nihilominus receperunt Pichen. Longol. Bred. Mutavit Rhenanus, habitatur reponens, cf. Drakenb. ad Liv. 9, 28. haud male. alii aliter: Ernestius, centum pagi habitantur: Broterius, centum pagi iis habitantur: Bipontini, quibuscum facit Oberlinus, centum pagis habitantium, satis ingeniose. Recepi, quod facillime poterat incidere in vitium propter sequens efficitur.

corpore.) tempore. Duo Codd. Vatt. numero. Cod. Hummel.

XL. Langobardi pauciores, sed aeque nobiles. Reudigni. Aviones. Anglii. Varini. Eudoses. Suardones. Nuithones. Colunt in commune Hertham. Lucus Deae in insula Oceani. (RVGIA.) Arcana ejus religio.

Langobardos paucitas nobilitat, quod —) Unus cod. Farnes. Libri reliqui omnes hanc illamve corruptelam traxerunt. Longobardis paucitas nobilitasque. Put.

obsequium; sed proeliis et periclitando tuti sunt. Reudigni deinde, et Aviones, et Anglii, et Varini, et Eudoses, et Suardones, et Nuithones, fluminibus aut silvis muniuntur. nec quicquam notabile in singulis, nisi quod in commune Nerthum, id est, Terram matrem,

Vienn. Longobardis paucis nobilitasque. Mon. Langabardos paucitas nobilitas, omisso quod. Cod. Turic. et Longol. Spir. Nor. sed haec Largobardos, Rhenan. prior: Langobardis paucitas nobilitasque, quod — Rhenan. Langobardos paucitas nobilitat: particula spreta, Lips. Ern. Longol. Bip. Oberl. Seebodius ita ut cam cancellis circumsepiat. Equidem cum Bredovio lectionem Farnesianam servavi, ex qua aberrationes reliquas facile derives. Quod bene habet: transitioni servit. Nobilitas eorum in eo conspicitur, quod, quamvis numero pauci, tamen inter validissimas nationes fortitudine tuti degant; cujus usus exempla v. ap. Ern. clav. Cic. p. 700. sq. De vera nominis Langobardorum scribendi ratione, quam optimi libri servaverunt, v. Longol. de Hermund. diss. 22. et Moeseri Histor. Osnabr. T. 1. p. 38.

et periclitando.) ac periclitando. Nor.

Reudigni.) Veudigni. Cod. Longol. Nor. Deuringi excogitavit Cluver.

Anglii) restitui Tacito e Spir. Nor. Put. Mon. Vienn. cod. Grosloti. Rhenanus de suo: Angli, quod recentt. temere praetulerunt.

Suardones.) Suarinos. Cod. Longol. Nor. quod in hac Varinorum vicinia non male de occidentali Megalopoleos parte acceperis. Nolui tamen deserere aeque bonam plurimarum editt. scripturam v. not.

Nuithones.) Vuithones. Cod. Hummel.

Nerthum.) Cod. Hummel. et Longol. Spir. Nor. Put. Mon. Vienn. Herthum Rhenan. e conj. quod multis placuit, in his Lipsio, Ernestio, Oberlino, Seebodio. Aliam librorum lectionem Verthum indicat Lipsius. Multum exercuit Deae nomen viros doctos, nec pepercerunt conjecturis absurdissimis. (Ita proposuit Elsnerus: Erdam, Bipont. Aerthcunne. etc.) Sed res adeo est lubrica, ut aut nihil mutandum, aut statim Hertham reponendum videatur. Placuit hoc Ernestio, recepit Bred. nec potest dubitari, quin de Hertha loquatur Tacitus. Tamen videndum est, ne ipsum auctorem corrigamus.

trem, colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis, arbitrantur. Est in insula Oceani castum nemus, dicatumque in eo vehiculum, veste contectum. attingere uni sacerdoti concessum. Is adesse penetrali Deam intelligit, vectamque bubus feminis multa cum veneratione prosequitur. Laeti tunc dies, festa loca, quaecunque adventu hospitioque dignatur. non bella ineunt, non arma sumunt; clausum omne ferrum; pax et quies tunc tantum nota, tunc tantum amata: donec idem sacerdos satiatam conversatione mortalium Deam templo reddat. Mox vehiculum et vestes, et, si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Servi ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc

nemus.) bis posuit Nor. Ceterum castum nemus, a nonnullis mutatum, ab. Ern. cum ed. Rom. vel ejectum, ab emendatoribus tutum praestabunt Romanorum luci parum casti, Horat. Carm. 1, 12, 60. Similiter penetralia casta, profanis inaccessa, Jo. Frider. Gronov. Diatr. in Stat. Silv. T. 1. p. 451. ed. Lips. Differt casta domus apud Tibull. 3, 4, 60.

dicatumque.) Observavit unus Oberl. apud Lipsium copulam omitti: omisit jam Rhenanus, sed fortasse haud consulto.

in eo.) sic verissimo Rhenanus: indigneris tamen, lectionem editt. Nor. Put. Mon. Vienn. et quod conjicere licet, Spirens. in ea, ne memorari quidem criticis. Tanta negligentia in singulis fere plagulis usi sunt!

Bubus.) Bobus. Mon. Vienn.

multa cum ven.) Praepositionem haud solus Cod. Turic. omisit: desideratur praeterea in editt. Put. Mon. Vienn.

quaecunque adventu.) quemcunque adventum. Cod. Longol. quemcunque adventu. Nor. quod arridebat Ernestio: idem optime refutavit Rhenanum, advectu conjectantem. v. ad Histor. 4, 84.

tunc tantum.) item tantum. Put. Mon. Vienn.

et vestes.) abest copula a Mon.

ipsum.) ipse. Mon.

servi.) Suevi. Nor. lectio satis memorabilis.

hinc terror sanctaque ignorantia, quid sit illud, quod tantum perituri vident.

XLI.

Et haec quidem pars Suevorum in secretiora Germaniae porrigitur. — Propior, ut, quomodo paulo ante Rhenum, sic nunc Danubium sequar, Hermundurorum civitas, fida Romanis: eoque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus, atque in splendidissima Rhaetiae provinciae Colonia. Pas-

ignorantia.) ignotantia. Put.
quid sit illud, quod—) Nor. Rhen. Ern. Longol. Oberl. Bred. quid sit id, quod. — Cod. Turic. Vienn. Bip. Seeb. quid si id, quod — Put. Mon. Auribus consulendum putavi, in quantum liceret per libros vett. Pronomen exterminandum visum est Ernestio: sed nequit abessse.
Initium cap. sequentis: Et haec quidem — porrigitur,) huic sectioni adjunxit Longol.

XLI. Hermunduri fidi Romanis: frequens cum iis commercium. Albis fluvius.
Suevorum.) verborum. Nor. nomen omiserunt Put. Mon. Vienn. de qua re quum apud editores altum obtineat silentium, Rhenanus primus veram lectionem exhibuisse videtur. Suevorum enim mentionem injicere debebat, quum Hermunduri ejusdem gentis pars haberentur. v. cap. 43. init. Strabo. 7. p. 324. Anton. interp. vernac. Germ. p. 183. Longolii notitiam Hermundurorum inspicere non licebat.
propior.) abest a Mon. proprior. Bred. errore typographico.
quomodo.) quom. Vienn.
Hermundurorum.) Hermunduorum. Put.
eoque solis.) eaque sola. Turic. eosque solis Mon.
Rhaetiae.) Raetiae. Nor. Vienn.
Colonia.) Hic recte interpunxit Lipsius: fecerat ante virum egregium editor Vienn.

Passim et sine custode transeunt: et quum ceteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus, non concupiscentibus. In Hermunduris Albis oritur, flumen inclitum et notum olim; nunc tantum auditur.

XLII.

Iuxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomani et Quadi agunt. Praecipua Marcomanorum gloria viresque; atque ipsa etiam sedes, pulsis olim Boiis, virtute parta. Nec Narisci Quadiue degenerant, eaque Germaniae velut frons est, quatenus Danu-

Passim et sine cust.) Cod. Turic. Put. Mon. Vienn. Excidit copula in Nor. Rhen. seqq. restituit Pichena „e vett. libris".
et quum ceteris.) ut cum cet. Mon.
ostendamus.) commendamus. Turic.
notum.) novum. Turic.

XLII. Narisci. Marcomani. Quadi. Marcomanorum praecipuae vires: iis Quadisque ex ipsorum gente reges manserunt. Reges pecuniam accipiunt a Romanis.

Marcomani.) Retinui, quod praebebant Nor. Put. Mon. Vienn. Rhen. Ald. hoc ipso capite ter, sequenti semel, praeterea vett. editt. Annal. 2, 46. 62. in eandem scripturam apud Jul. Caes. 1, 51, 2. vetustissimi libri consentiunt, quos recte sequutus est Oudendorp. Ptolomaeo quoque Μαρκομάνοι dicuntur. Geogr. 2, 11. cf. Mannerti Geogr. Graec. et Rom. T. 3, 444. Editt. rec. omnes: Marcomanni: Lipsio, puto, debetur. Monendum restat, Put. ubique Marconiani, Marconianorum, Marconianis, repraesentare.

Boiis.) Bois. Nor. Vienn. v. cap. 28.

Danubio peragitur. Marcomanis Quadisque usque ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri genus. iam et externos patiuntur. sed vis et potentia regibus ex auctoritate Romana. raro armis nostris, saepius pecunia iuvantur, nec minus valent.

XLIII.

peragitur.) Codd. Lips. Turic. Bamb. et Longol. editt. Spir. Nor. Mon. Vocula una omissa, pergitur. Put. Vienn. Ald. patrocinantibus Pichena et Longolio. Mox spreta librorum auctoritate praetexitur Rhenan. Lips. (cui in editt. adscribi solet conjectura: quod unde hauserit, putida Ernestii negligentia nescire se fatetur!) et Bred. ut cap. 34: porrigitur (sive porgitur, quod arridebat Ernestio.) Lipsius in notis prioribus et Seebod. protegitur. Bipont. Oberl. cf. Ann. 15., 43. praetenditur tentavit Bred. comparans Ann. 2, 56. Hist. 2, 6. et 14. Harum conjecturarum refutandarum taedium devoravit Emmerling. de loc. nonnull. Germ. p. 29. cetera bene, nisi quod ipsum detinuerit sphalma Puteolani. Quatenus Danubio peragitur sc. iter. Danubii tractum sequenti haec Germaniae quasi frons est. Simili τῆς ὁδῆς ellipsi in verbis synonymis utuntur Graeci: τελεῖν. Marcl. ad Eurip. Suppl. 1142. Wessel. ad Diodor. Sic. T. 2. p. 95. Schaefer. melet. crit. p. 94. et ἀνύειν, Brunck ad Aristoph. Plut. 607. et Aves. 241. idem ad Soph. Oed. Col. 1562. Erf. ad Soph. Antig. 231. 799. Schaefer ad L. Bosii ell. p. 333. etc. Similem explicationem admittit altera lectio, e Put. enotata: pergitur, v. quae monuit F. A. Wolfius ad Annal. 1, 28. ita ut de emendatione omnino non sit cogitandum. Ipsius Taciti verba: quomodo paulo ante Rhenum, sic nunc Danubium sequar, apposite comparavit Emmerlingius, etsi eorum auctoritate in rem malam abusus.

Quadisque.) Nor. quod ex ingenio restituerat Pichena. Antiquiores omnes: Quadive. Error solemnis: hic sine dubio e praecedentibus: Narisci Quadive, ortus.

Manserunt.) mansere. Nor. Vienn.

Tudri.) Trudi. Cod. Longol. Nor. quod commendant Longol. et Oberl.

nec minus valent.) In editt. vulg. haec initium faciunt capitis sequentis, et ita quidem ut arctissime cohaereant cum verbis: retro Marsigni, Gothini, Osi, Burii: quae

XLIII.

Retro Marsigni, Gothini, Osi, Burii terga Marcomanorum Quadorumque claudunt. E quibus Marsigni et Burii sermone cultuque Suevos referunt. Go-

quam absurde sint dicta, quum statim addatur, Gothinos Ososque tributa pati, a Sarmatis et Quadis imposita, editorum unus sensit Lallemandus, qui negationem delendam putabat, persuadebatque Bleterio. Statim tamen praeplacebat lenior Mannerti medicina, Geogr. Graec. et Rom. T. 3. p. 476. ubi eodem, quo in hac edit. feci, modo, tria illa vocabula dubia, distinctione tantum mutata, ad narrationem de regibus Marcomanorum Quadorumque retrahuntur. Sed idem multo antea editor Viennensis fecerat, hoc nomine saepius jam laudatus. — Accipiebant pecuniam a Romanis reges Marcomanorum et Quadorum, nec ideo minus valebant, ac si nihil tulissent: non enim tanquam pauperiores a divitibus accipiebant, sed victores a victis reportabant. Pudebat vero equitem Romanum, aperte confiteri, gentem suam Barbaris tributa pendere coactam esse, quod silentio praeterire non licebat historico. Romanos non solum Decebalo, Dacorum regi, sed sociis quoque Dacorum, Marcomanis Quadisque, tributarios fuisse sub Domitiano, jam non reticet Dio Cass. 67, 7. et 68, 9. cf. Gagernii hist. gent. Germ. p. 105. Huc quoque referenda videntur, quae dixit noster cap. 15. extr.

XLIII. Marsigni, Gothini, Osi, Burii. Gothinos Ososque non esse Germanos, lingua et quae patiuntur tributa arguunt. Lygii, quorum validissimae civitates Arii, Helveconae, Manimi, Elysii, Nahanarvali. A Nahanarvalis Alcis numen cultum, quod Castori Pollucique comparatur. Arii prae ceteris truces et bellicosi. Gothones jam adductius regnati. Rugii. Lemovii. Harum gentium insignia.

Retro Marsigni.) Retromarsigni. Nor.

Gothini.) Gotini. Nor. Vienn. Bothini. Mon. Utraque varietas scripturae in iisdem libris hoc ipso capite bis recurrit. Apud Claudian. IV Cons. Honor. 622. et in Eutrop. 2, 153. Gothuni et Gothyni. *Βατεῖνοι* in his ipsis regionibus habet Claud. Ptolem. Geogr. 2, 11.

Burii.) Buri. Nor. Vienn. hic et statim post, et ap. Ptol. 2, 11.

Marcomani.) vulgo Marcomanni. v. quae notavi ad cap. 42.

Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit, non esse Germanos; et quod tributa patiuntur. partem tributorum Sarmatae, partem Quadi, ut alienigenis, imponunt. Gothini, quo magis pudeat, et ferrum effodiunt. Omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum saltus et vertices montium iugumque insederunt. Dirimit enim scinditque Sueviam continuum montium iugum, ultra quod plurimae gentes agunt: ex quibus latissime patet Lygiorum nomen, in plures civitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet, Arios, Helveconas, Manimos, Ely-

et quod trib.) copulam omisit Mon.

Sarmatae.) Sermatae. Cod. Longol.

effodiunt.) offodiunt. Put.

omnesque.) omnisque. Nor.

vertices montium jugumque.) montium non habet Turic. vert. mont. jugaque. Arund. jugumque insititium videtur Acidalio, cui Ern. opponit Agric. 10. jugis atque montibus inseri. male. Debebat provocare ad ea, quae habuimus cap. 1. montis Arnobae jugo, et quae statim sequuntur: continuum montium jugum. cf. Virg. Eclog. 5. 76. Cul. 45. Horat. Epod. 1, 11. Ovid. Metam. 11, 38. Val. Flacc. 2, 634. 3, 404. 521. Quam inepta ipsius Ernestii sit conjectura: iugorumque, affatim docent ea, quae addit Tacitus: scindit Sueviam continuum montium jugum.

cont. montium jug.) montium desideratur in Mon.

Lygiorum.) Legiorum. Spir. Nor. Put. Vienn. Legionum Mon. Sed sub finem capitis uno consensu: Lygios, praeter Vienn. ubi Ligios. Annal. 12, 29. Lygii. Scripturam, quam praeterea affert Bred., Lugorum, in codd. Taciti frustra quaeres. Quantus vero de hujus gentis nomine veterum fuerit dissensus v. ap. Longol. de Hermund. dissert. 19. et Mannert. Geogr. T. 3. p. 435. Apud Ptolem. tamen Λοῦτοι Cod. Mirand. in Λοῦγοι mutandum erit.

Arios.) Harios. Cod. Hummel. Nor.

Helveconas.) Helvetonas. Nor. Hilleviones Plinii. hist. nat. 4, 13. Scandinaviae gentem cum Bipont. male huc traxit Bredov.

Manimos.) Lanimos. Cod. Hummel. Mammos. Nor.

Elysios, Nahanarvalos. Apud Nahanarvalos antiquae religionis lucus ostenditur. praesidet sacerdos muliebri ornatu; sed Deos, interpretatione Romana, Castorem Pollucemque memorant: ea vis numini, nomen Alcis: nulla simulacra, nullum peregrinae superstitionis vestigium: ut fratres tamen, ut iuvenes venerantur. Ceterum Arii, super vires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truces, insitae feritati arte ac tempore lenocinantur: nigra scuta, tincta corpora; atras ad proelia noctes legunt; ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum. nam primi in omnibus proeliis oculi vincuntur. Trans Lygios Gothones regnan-

Elysios.) Helisios. Cod. Hummel. Nor.

Nahanarvalos.) hic et statim post Cod. Turic. et ed. Mon. In altero loco Naharvalos, Spir. Nor. Put. Vienn. Utrobique Naharvalos editiones post Rhenan. omnes. Quae gens quum praeterea veterum nulli memoretur, acquiescendum erat in lectione codicis optimae notae.

religionis.) regionis. Nor.

Romana.) Romani inde ab Rhenano occupavit editt. Librorum lectionem revocavit Pichena.

ea vis numini,) Cod. Hummel. ed. Nor. optimo jure recepit Ern. servaveruntque recentiores scripturam hanc praestantissimam. Reliqui: Ejus numinis nomen Alcis.

Arii.) alii Nor.

truces.) trucis. Nor. Put. Mon. Vienn.

tincta corpora.) majorem distinctionem edd. vett. restituit Ern.

Gothones.) Gotones Bip. Brod. Seeb. vulgarem Annal. 2, 62. scripturam praeferentes. Quum nesciam, quid obstet, quominus Annalium locus ad nostrum refingatur: librorum auctoritati Gothinorumque analogiae obsecundare malui. Guttones Plinii hist. nat. 4, 14. 37, 2. gens procul dubio a Gothonibus diversissima, nihil probant, et apud Ptolem. Geogr. 3, 5. incidimus in Γύθωνας.

Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit, non esse Germanos; et quod tributa patiuntur. partem tributorum Sarmatae, partem Quadi, ut alienigenis, imponunt. Gothini, quo magis pudeat, et ferrum effodiunt. Omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum saltus et vertices montium iugumque insederunt. Dirimit enim scinditque Sueviam continuum montium iugum, ultra quod plurimae gentes agunt: ex quibus latissime patet Lygiorum nomen, in plures civitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet, Arios, Helveconas, Manimos, Ely-

et quod trib.) copulam omisit Mon.

Sarmatae.) Sermatae. Cod. Longol.

effodiunt.) offodiunt. Put.

omnesque.) omnisque. Nor.

vertices montium jugumque.) montium non habet Turic. vert. mont. jugaque. Arund. jugumque insititium videtur Acidalio, cui Ern. opponit Agric. 10. jugis atque montibus inseri. male. Debebat provocare ad ea, quae habuimus cap. 1. montis Arnobae jugo, et quae statim sequuntur: continuum montium jugum. cf. Virg. Eclog. 5. 76. Cul. 45. Horat. Epod. 1, 11. Ovid. Metam. 11, 38. Val. Flacc. 2, 634. 3, 404. 521. Quam inepta ipsius Ernestii sit conjectura: iugorumque, affatim docent ea, quae addit Tacitus: scindit Sueviam continuum montium jugum.

cont. montium jug.) montium desideratur in Mon.

Lygiorum.) Legiorum. Spir. Nor. Put. Vienn. Legionum Mon. Sed sub finem capitis uno consensu: Lygios, praeter Vienn. ubi Ligios. Annal. 12, 29. Lygii. Scripturam, quam praeterea affert Bred., Lugorum, in codd. Taciti frustra quaeres. Quantus vero de hujus gentis nomine veterum fuerit dissensus v. ap. Longol. de Hermund. dissert. 19. et Mannert. Geogr. T. 3. p. 435. Apud Ptolem. tamen Λοῦγοι Cod. Mirand. in Λεγοι mutandum erit.

Arios.) Harios. Cod. Hummel. Nor.

Helveconas.) Helvetonas. Nor. Hilleviones Plinii. hist. nat. 4, 13. Scandinaviae gentem cum Bipont. male huc traxit Bredov.

Manimos.) Lanimos. Cod. Hummel. Mammos. Nor.

Elysios, Nahanarvalos. Apud Nahanarvalos antiquae religionis lucus ostenditur. praesidet sacerdos muliebri ornatu; sed Deos, interpretatione Romana, Castorem Pollucemque memorant: ea vis numini, nomen Alcis: nulla simulacra, nullum peregrinae superstitionis vestigium: ut fratres tamen, ut iuvenes venerantur. Ceterum Arii, super vires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truces, insitae feritati arte ac tempore lenocinantur: nigra scuta, tincta corpora; atras ad proelia noctes legunt; ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum. nam primi in omnibus proeliis oculi vincuntur. Trans Lygios Gothones regnan-

Elysios.) Helisios. Cod. Hummel. Nor.

Nahanarvalos.) hic et statim post Cod. Turic. et ed. Mon. In altero loco Naharvalos, Spir. Nor. Put. Vienn. Utrobique Naharvalos editiones post Rhenan. omnes. Quae gens quum praeterea veterum nulli memoretur, acquiescendum erat in lectione codicis optimae notae.

religionis.) regionis. Nor.

Romana.) Romani inde ab Rhenano occupavit editt. Librorum lectionem revocavit Pichena.

ea vis numini,) Cod. Hummel. ed. Nor. optimo jure recepit Ern. servaveruntque recentiores scripturam hanc praestantissimam. Reliqui: Ejus numinis nomen Alcis.

Arii.) alii Nor.

truces.) trucis. Nor. Put. Mon. Vienn.

tincta corpora.) majorem distinctionem edd. vett. restituit Ern.

Gothones.) Gotones Bip. Brod. Seeb. vulgarem Annal. 2, 62. scripturam praeferentes. Quum nesciam, quid obstet, quominus Annalium locus ad nostrum refingatur: librorum auctoritati Gothinorumque analogiae obsecundare malui. Guttones Plinii hist. nat. 4, 14. 37, 2. gens procul dubio a Gothonibus diversissima, nihil probant; et apud Ptolem. Geogr. 3, 5. incidimus in Γύθωνας.

regnantur, paulo iam adductius, quam ceterae Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugii et Lemovii. Omniumque harum gentium insigne, rotunda scuta, breves gladii, et erga reges obsequium.

XLIV.

Suionum hinc civitates, ipsae in Oceano, praeter viros armaque classibus valent. Forma navium eo

regnantur.) correctio debetur Rhenano. regnant. Codd. Vatic. duo et Bamb. editt. ante Rhenan. omnes. revocavit Ern. haec addens: „regnare etiam populi dicuntur. ni fallor, apud quos Regium imperium est“ hoc est: regnare dicuntur, qui regnantur! Laudant in subsidium lectionis Rhenanianae Histor. 1, 16. locum non satis aptum, rectiusque ad alteram sententiam comprobandam possis uti loco Histor. 3, 7. addictius, quam bello civili, imperitabat. Sed talibus haud est opus, ubi ratio linguae et nexus sententiarum gravissimum judicium tulerunt.

adductius.) addictius Rhen. et plures ante Pichen. addictus. Ald. Adverbii sensu activo usurpati exemplum modo attuli: accedat alterum Annal. 14, 4. cf. Gierig. ad Plin. epist. 1, 16. Potestati passivae fidem faciat idem Tacitus ipse, Annal. 12, 17.

ceterae.) exterae. Cod. Turic.

protinus.) protenus. Nor. prob. Longol.

Lemovii.) Lemonii. Nor.

XLIV. Suiones. Naves eorum. Moribus et institutis a ceteris Germanis multum differunt.

ipsae in oceano.) Cod. Turic. Arund. Hummel. ed. Spir. Put. Mon. ipse, Nor. Vienn. ipso Rhenan. rec. omn. praeter Bip. Quod nobis pro emendatione Rhenani venditare solent, merum est sphalma operarum: Rhenanus enim, sitae in Oceano, rescribi jubet in Castigationibus. „At illud nobis elegantius et verius videtur“, Bipontini verissime. Praeterea: in Oceanum, Nor.

eo differt, quod utrinque prora paratam semper appulsui frontem agit. nec velis ministrantur, nec remos in ordinem lateribus adiungunt: solutum, ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut res poscit, hinc vel illinc remigium. Est apud illos et opibus honos: eoque unus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi. nec arma, ut apud

utrinque.) utrimque. vulgo male. utrumque. Rhag.

velis ministrantur.) Libri mss. et impr. vett. omnes. Lipsius ex ingenio: velis ministrant, Virgilianum illud: Aen. 6, 302.

Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,

imitatus: cf. Aen. 10, 218. et Lucan. 3, 690.

Tela legunt dejecta mari, ratibusque ministrant.

Cum Lipsio fecerunt posteriores, Longolio et Seebodio exceptis. Non meminerant, verbum ministrare sexto quoque casui jungi: ita Valer. Flacc. 3, 38.

— ipse ratem vento stellisque ministrat.

nec aliter locus Virgilianus prior accipiendus est, nec aliter Cornelianus, de quo loquimur. Nec naves Suionum velis ministrantur, nec remos lateribus adjungunt Suiones. De transitu e passivo in activum loquendi genus, apud Tacitum usitatissimo supra monitum est. Ministare vero et ministerium, etiamsi nihil additum sit, de navibus recte deci, probaverunt Interpp. Petron. de mutat. reip. Rom. 234.

nec remos.) nec abest a Mon.

hinc vel illinc.) hinc vel hinc. Nor. per se non plane spernendum. Virg. Aen. 1, 162. ἔνθεν καὶ ἔνθεν. Herodot. 4, 71. Thucyd. 2, 76. 7, 81. Xenoph. Cyrop. 6, 1, 30. 6, 3, 3. 7, 1, 31. 8, 3, 9. Anab. 4, 6, 12. et saepius.

non precario jure parendi.) In promptu est emendatio: jure imperandi. Sed praestat, locum e rarissima gerundii potestate passiva illustrare: quod de gerundiorum genitivis Cortius docuit ad Sallust. Iugurth. 62, 8. p. 694. laudans Cicer. in Verr. act. 1, 18. et Iustin. 17, 3. Cortium exscripsit Seyfert. Gramm. Lat. T. 2. p. 159. sq. Alia praeclara contulerunt Interpp. ad Sanct. Minerv. 3, 8. p. 561. et 565 sq. ed. Scheid. Adde Tibull. 1, 9, 23.

Nec tibi celandi fas sit peccare paranti.

apud ceteros Germanos, in promiscuo; sed clausa sub custode, et quidem servo: quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus, otiosa porro armatorum manus, facile lasciviunt. enimvero neque nobilem, neque ingenuum, ne libertinum quidem armis praeponere, regia utilitas est.

XLV.

quem locum pessime tractavit Huschkius in Anal. Wolfianis. 1. p. 164. s. Vossii rustice et pueriliter carpendi, quam veri indagandi cupidior. Iungitur in talibus plerumque Gerundium substantivis fas, jus, potestas, facultas, copia, licentia, gratia, causa. Hoc tamen observatu est dignissimum, in his Taciti verbis gerundium ipsum et substantivum, a quo pendeat, non, ut in reliquis locis, ad eandem personam esse referenda.

in promiscuo.) Veram hanc scripturam servavit una Nor. hinc transiit in Rhen. et recentt. neque promiscuo. Turic. Put. Mon. Vienn.

Oceanus,) Majorem distinctionem bene mutaverunt Bip. Sequitur enim altera causa, quare populus prohibeatur ab armis.

otiosa porro armatorum manus, facile lasciviunt.) Vix ullo loco magis irascaris foedae editorum incuriae. Lipsius, ut videtur, primus locum ita informaverat: otiosae armatorum manus facile lasciviunt, satis concinne, sed contra libros. Certe in Nor. Put. Mon. Vienn. Rhenan. et Ald. uno consensu legitur, quod dedi in contextu, nisi quod Rhen. et Ald. distinctionem sustulerunt: Lipsius nec fontem emendationis indicavit, nec emendationem quidem ipsam. Hinc factum est, ut recentiorum nullus interpolata Taciti verba senserit; ne ii quidem, qui editt. Nor. et Put. excussisse profitentur, Ernestius, Longolius et Oberlinus. Scriptura, quam revocavi, ut abruptior et vehementior, ita aptior est loco, quo haud dubie Praetorianorum lasciviam et violentiam notaverat auctor.

ingenuum.) ingenium. Put.

ne libertinum q.) nec lib. q. Mon.

XLV.

Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope immotum: quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis iam solis fulgor in ortus edurat, adeo clarus, ut sidera hebetet. sonum insuper audiri, formas Deorum et radios capitis aspi-

XLV. Mare pigrum: terminus orbis terrarum. — Aestyi: superstitiones eorum. Succinum, ipsis Glesum dictum, legunt: de natura Succini. Sitones, feminae subditi. Sueviae fines.

cludique.) Nor. Rhen. recentt. claudique. Put. Mon. Vienn. v. ad cap. 34.

extremus.) extranius. Nor.

cadentis.) catientis. Nor. extremum radeus, et mox: adeo clare, e libro vetere affert Js. Vossius ad Pomp. Mel. 3, 3, 35. p. 795. Gron. idque praefert vulgatae: jure renitentibus Ernestio et Longolio ad h. l., ac Schloezero, Hist. univ. Septentr. p. 139. qui rem confecit.

in ortus.) in ortum. Pichena. male. veram rationem ostendit Oberl. Bipont. sequutus. Post edurat, distinxi cum Vienn. et Rhenan.

sidera.) sidere. Mon.

hebetet.) habet. Put. Vienn. Tuetur haec varietas scripturam cap. 15. receptam.

sonum insuper audiri.) Cod. Turic. Spir. Put. Mon. Vienn. recentt. plurimi. sonum insuper emergentis audiri. Cod. Hummel. Nor. Rhenan. Longol. nullo sensu. hinc: se mergentis, Lips. Cluver. et Heins. ad Vellej. 1, 17, 1. immergentis. Coler. utrumque, quantum ad sensum, recte, nam aliunde quoque constat de hac veterum, praecipue Epicureorum, opinione, Solem in Oceanum descendentem stridorem edere, ferro candenti in aquam demisso simillimum. v. Bakius ad Posidon. Rhod. p. 69. Cleomed. Cycl. Theor. 2, 1. p. 453. Interpp. Valer. Flacc. 2, 36. Iuven. 14, 280. Stat. Silv. 2, 7, 27. Sed ad haec emendatione haud opus esse vere monuit Ern. nec vero magis illud Bipontinorum incisum post hebetet, cuiquam placebit.

formas.) Cod. Turic. Put. Mon. Vienn. prob. Ern. formasque. Nor. Rhen. recentt. copula haud dubie spuria, et

situm compertumve. diu quin etiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. Ipsis in nullo usu, rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. Succum tamen arborum esse intelligas, quia terrena quaedam atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quae implicata humore, mox, durescente materia, cluduntur. Fecundiora igitur nemora lucosque, sicut Orientis secretis, ubi tura balsamaque sudantur, ita Occidentis insulis terrisque inesse crediderim, quae vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in adversa littora exundant. Si naturam Succini admoto igni tentes; in modum taedae accenditur, alitque flammam pinguem et olentem; mox ut in picem resinamve lentescit. Suionibus Sito-

Diu.) Post diu incidunt Put. Mon. Vienn.

ipsis in nullo usu.) Distinctionem majorem posuerunt Ern. Oberl. Bred. Seeb. male, ideo rude perferebatur, quia Aestyis ipsis in nullo usu erat. Ceterum, quod dicit Ernestius, ita quoque distingui in editt. Norimb., hoc longe aliter habet: ne virgula quidem interposita est.

perfertur.) profertur. Nor. et cod. Groslot.

implicata.) implicita. Longol. quod pro vitio typographico acciperem, nisi ipse addidisset: al. implicata. Fides alterius sit apud auctorem, mihi admodum sublesta videtur.

Fecundiora.) Facundiora. Mon.

igitur.) ergo. Nor.

Tura.) Nor. vulgo male: thura.

Terrisque.) terris. Mon.

radiis.) radius. Nor.

liquentia.) liquantia. Put.

igni.) Nor. Vienn. forma exquisitior, nec Tacito inusitata. Annal. 12, 58. 14, 30. Vulgo: igne.

et olentem.) Copula desideratur in Mon.

resinamve.) Nor. Rhen. recentt. rascinamque. Put. resinamque. Mon. rastinamque. Vienn.

tonum gentes continuantur. cetera similes, uno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant. Hic Sueviae fines.

XLVI.

Peucinorum Venetorumque et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis ascribam, dubito: quan-

continuantur.) continuant. Vienn. Ceterum quae de Suionibus narrat Tacitus, Bipontinis in fine cap. 44. collocanda videntur: (Suionibus — degenerant) quam sententiam suam facit Bredov.

hic Sueviae fines.) Cod. Turic. Spirens. Nor. finis. Put. Mon. Vienn. Rhenan. recenct. hinc. ed. Gryph. vitio operarum. — Quae modo praecesserant: a servitute degenerant, contra emend. Gronov. in serv. deg. bene tuiti sunt Bipontini.

XLVI. Peucini sive Bastarnae, Veneti, Fenni, Sarmatae an Germani dubium, Fenni tamen Sarmatis propiores feritate, inopia, foedo vitae cultu. Hellusii et Oxiones jam fabulosi.

Venetorumque.) Nor. Put. Mon. Vienn. iidem mox: Veneti. Venedorum. Rhen. de suo. recentt. omnes, ut scilicet distingueretur populus borealis ab accolis Padi: nam apud Plinium hist. nat. aliquoties lectio fluctuat, nec ex eo nomina apud Tacitum corrigere licet, nec e Ptolem. Geogr. 3, 5. ubi quoque Οὐενέδαι et Οὐενεδικὸς κόλπος. Joanni Mullero, bell. Cimbr. 7, 5. T. 12. p. 350. Tub. Veneti Borussiae superiorisque Italiae ejusdem sunt gentis, unde duplex quoque Eridanus.

et Fennorum.) Copulam omisit Mon. Fennorum, constanter cod. Turic. Nor. Rhen. recentt. Femiorum. Spir. Put. Mon. Vienn. Paulo infra una tantum Mon. Femiosque et Femiis.

Sarmatis.) Sarmathis. Nor. cum aspiratione quoties nomen recurrit.

quanquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede ac domiciliis, ut Germani agunt. sordes omnium ac torpor: procerum connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur. Veneti multum ex moribus traxerunt. nam quicquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. Hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos fingunt, et scuta gestant, et peditum usu ac pernicitate gaudent;

omnium.) omniumque. Nor.

ac torpor procerum:) distinxi ut in editt. vett. factum est, faventibus imprimis Acidalio et Oberl. Primus Rhenanus post torpor incisum collocavit: male: quid enim connubia procerum ad populum? Vulgatae hic inest sensus: proceres non modo sordidi degunt, ut tota gens, sed torpentes nihilque agentes: et hactenus Germanis sunt propiores. Nihil igitur opus emendatione Rhenani: ceterum, quam Muretus et Ern. assensu suo ornarunt: plane vero inepta nuperrima est ratio, ex qua procerum pro adjectivo accipiendum, ac si dicturus fuisset Tacitus: quantum ad proceritatem corporis! Rhenani distinctionem praetulernnt Pichena, Bred. Seeb.

mixtis.) mistos. Nor. mixti. Coler. et Ern. ex ingenio. frustra. Mira in hunc locum commentatus est Gebauer. vestig. jur. Germ. p. 690. sq. connubia, quae sine ulla distinctione inter diversas nationes fiebant, aliter dici vix poterant.

foedantur.) foedatur. Rhen. Ald. foederantur pessima est conjectura Crusii.

Peucinos.) Paucinos. Nor. Put. Vienn. miro consensu.

Hi tamen.) Hic tamen. Mon. De Venetis dicta puto, qui, quantumvis e Sarmatarum moribus traxerint, tamen Germanis potius accensendi sint.

fingunt.) editt. vett. omn. revocavit Ern. figunt, errorem typographicum Lipsianae primae, per multa exemplaria propagavit negligentia editorum.

peditum.) Libri mss. et editt. vett. omn. pedum. Lipsius e conj. probavit Ern. in textum admiserunt Bip. Oberl. Bred. Seeb. alii. sensu longe deteriori. Domos Germanorum opponit plaustris Sarmatarum, pedites et scuta, peditum

dent; quae omnia diversa Sarmatis sunt, in plaustro equoque viventibus. Fennis mira feritas, foeda paupertas: non arma, non equi, non Penates; victui herba, vestitui pelles, cubile humus. solae in sagittis spes, quas, inopia ferri, ossibus asperant. Idemque venatus viros pariter ac feminas alit. passim enim comitantur, partemque praedae petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. huc redeunt iuvenes, hoc senum receptaculum. Sed beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque versare. Securi adversus homines, securi adversus Deos, rem

arma, equis, quibus Sarmatae per bella utebantur. v. Histor. 1, 79. Annal. 12, 29. Gagernii Hist. nat. German. p. 33. Germanorum praecipuum robur penes peditem fuisse, ipse narrat Tacitus. cap. 6. cf. Jul. Caes. Bell. Gall. 1, 48. nec quicquam difficultatis inest verbis: peditum usu et pernicitate gaudent: gaudere enim et delectari de talibus rebus frequentatur, quae in universum magni facimus. v. Germ. 15. Wopkens Lectt. Tullian. 2, 15. p. 112. Iis vero, qui in plaustro equoque vivunt, non tam pedum, quam peditum usus et velocitas abjudicatur.

diversa.) didiversa. Put.

solae.) Una Nor. sola, quod nimio quodam concinnitatis studio a Rhenano receptum, hucusque remansit in editionibus.

ac fem.) et fem. Put. Mon. Vienn.

contegantur.) contegatur. Ald.

huc.) nunc. Nor.

Sed beatius.) Id beatius e conj. Rhenan. Ern. Longol. Bip. Oberl. Bred. alii. Sed id beatius, malebat Ern. Restituit scripturam genuinam Seebodius. Nihil hac pronominis ellipsi vulgarius. v. Goerenz ad Cic. de Finib. 4, 19. p. 486. 5, 3. p. 536.

illaborare.) elaborare. Mon.

securi adversus homines.) excidit ap. Seeb. Post: adversus Deos, plene distinguit Vienn.

rem difficillimam assecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus esset. — Cetera iam fabulosa: Hellusios et Oxionas ora hominum vultusque, corpora atque artus ferarum gerere. quod ego, ut incompertum, in medium relinquam.

ut illis — esset.) in illis — esset. Put. Mon. ut illis — sit. Rhenan. qui plurimos imitatores nactus est, in his Long. Bip. et Bred. Subjunctivum imperfecti restituit Ernestius.

ora.) hora. Nor.

ora hominum vultusque, corpora atque artus ferarum.) Vienn. Rhenan. recentt. omn. nihil monito lectore. — vultusque et corpora — Nor. Put. Mon. sed contra morem Taciti. Possis quidem dicere, copulam ET, facto post vultusque inciso, pro particula SED accipiendam esse, de quo egi ad cap. 45. Sed ubicunque noster hunc copularum concursum admiserit, alia hujus structurae ratio est. Plerumque enim in talibus enclitica tota enunciationis membra conjungit, altera copula duo vocabula arctius inter se quam cum praecedentibus connectenda. Inter haec statim initium Germaniae referendum: Germania omnis a Gallis Rhaetisque et Pannoniis Rheno et Danubio — separatur. i. e. a Gallis Rheno, a Rhaetis et Pannoniis Danubio separatur. cap. 4. Aram — eodem loco olim repertam, monumentaque et, tumulos quosdam, Graecis litteris inscriptos, — exstare. cf. cap. 7. bis. 28. 34. Praeterea — QVE ET — usurpatur pro ET — ET — Histor. 4, 34. 12, 37. 51. 60. rarius tamen a Tacito, quam a Livio. v. Drakenb. ad 10, 30. et Cort. ad Sallust Jug. 6. Rarissime tria vocabula in eodem casu juxta posita ita conjunguntur: exempla praebent cap. 15. et 46. init. Peucinorum Venetorumque et Fennorum nationes.

ferarum gerere.) terarum genere. Nor.

Anna

Annotatio G. G. Bredovii.

I.

Rhaetorum sedes erant Alpes circa fontes Lici, Aeni et Athesis. Rhaetia vero — nam una tantum Rhaetia illo tempore fuit: Histor. 1, 11. 3, 5. Germ. 41. 43. Ptolem. Geogr. 2, 12. — Provincia Romana, quae et Vindelicos complectebatur, — cap. 41. Horat. Carm. 4, 4, 17. — usque ad Danubium et Aenum extensa est: et Tacitus h. l. etiam Noricos, Hist. 3, 5., nomine Rhaetorum comprehendere videtur. A Noricis Pannonia separatur Cetio monte.

Daci inter Danubium et Carpates [Καρπάτην. Ptolem. Geogr. 3, 5. bis.] circa Tibiscum et Marisium habitabant, montibus Bohemicis a Germanis separati. Sarmatarum fines incerti erant: omnem terrarum tractum ultra regiones cognitas versus Septentrionem et Orientem positum Sarmatae tenere credebantur.

[mutuo metu — separatur. Jul. Caes. bell. Gall. 6, 23. Civitatibus (Germanorum) maxima laus est, quam latissimas circum se vastatis finibus solitudines habere. hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quenquam prope se audere consistere. simul hoc se fore tutiores arbitrantur, repentinae incursionis timore sublato, quum bellum civitas aut illatum defendit aut infert. cf. Tacit. Annal. 13, 54. 55. Moeser Hist. Osn. 1. p. 161. Frider. M. Hist. aevi sui T. 1. p. 212.]

latos sinus complectens. Ostia Mosae, Annal. 2, 6., Rheni, Amisiae, Visurgis, Albis. Insulas, quas Tacitus immensas dicit, nunc fortasse frustra quaeras: illo tempore immensae esse videbantur, quamvis parvae fuerint, ad ostium Rheni Amisiaeque sitae. Plin. hist. nat. 2, 105. 4, 27. Ephemer. Geogr. 1804. Febr.

[sinus cave accipias de mari. Sinus omne id, quod curvaturam facit, v. Serv. ad Virg. Aen. 11, 626. hinc flexus sinu-

osus. Virg. Georg. 1, 244. littora sinuosa. Val. Flacc. 2, 452. similia: ita ut haud rectius de mari, quam de terra adhibeatur. Quum vero curvaturae et linearum et planitiarum duorum sint generum, deflexae et inflexae, acclives et depressae: non multifarius tantum, sed et contrarius hinc existit vocabuli nostri usus. Ac de montibus quidem et collibus nunquam adhibitum esse videtur: sed de vallibus et locis depressis tanto frequentius: sinus vallium dixit Val. Flacc. 2, 44. et terrae sinus, ubi de interioribus terrae partibus sermo, quis non? cf. Burm. ad Valer. Cat. 10. Anthol. Lat. T. 2. p. 652. Jo. Henr. Vossius ad Virg. Georg. 2, 331. p. 386. Interpp. Pervig. Ven. 61. terrae gremium. Lucret. 1, 252. 6, 538. et *κόλποι, λαγόνες, κενεῶνες γῆς.* Eust. ad Iliad. 2. p. 234, 18. Rom. *κόλποι λειμώνων.* Aristoph. Ran. 373. Ubi de flexu lineae agitur, justa verborum interpretatio interdum difficilior videri possit: vocabulum enim promiscue adhibetur, ita ut de singulis locis judicium e nexu sententiarum ferri debeat. Frequentior sane usus vocabulum plerumque de littoribus introrsum recedentibus adhibuit, de quovis loco a limitibus remotiori, et omnino de recessubus terrarum, sacris praecipue et sub Deorum tutela singulari positis. Accurate loquitur Plin. hist. nat. 3, 3. littus Corense inflexo sinu. sed idem 2, 86. inundationes maris, terrae residentis sinu recepti. Nec aliter accipiendi sunt Tartarei sinus. Ovid. Fast. 5, 244. Sinus Thessaliae. Petron. de mut. Reip. Rom. 294. Assyrii sinus. Val. Flacc. 5, 110. plane gemella praebent Poetae Graeci: *κόλποι Πίσας* et *κόλποι Νεμέας* apud Pindar. Olymp. 14, 33. et 9, 130. *Τροίας κόλποι.* Eurip. Troad. 130. accedit plerumque notio recessus montani et saltuosi, quod idem de vocabulis cognatis: *μυχοί, πτυχαί, θαλάμοι, γύαλα,* tenendum. v. Ruhnken. epist. crit. p. 102. Jacobs ad Anthol. T. 2, 1. p. 396. 2, 2. p. 181. Interpp. Soph. Oed. Tyr. 1026. Gravis igitur V. D. est error, verba Soph. Antig. 1120. *μέδεις δὲ παγκοίνοις Ἐλευσινίας Δηοῦς ἐν κόλποις, ὦ Βακχεῦ,* ad Sinum Saronicum referentium, cui adjaceret Eleusis. Loquitur poeta de sacris Eleusiniae Cereris recessubus, in campo Thryasio ipsi Corydalo monti subjacentibus. v. Strabo. 9, 1, 14. p. 357. Nec tamen destituimur exemplis locorum, ubi sinus anguli illi terrarum dicuntur, qui, remotissimi a cultioribus habitatisque partibus, in alienas et aditu difficiles regiones extenduntur, aut in ipsum mare prominent: ita India extremi sinus orbis audit Virgilio. Georg. 2, 123. ubi conf. Jo. Henr. Vossium. p. 315. apposite laudantem Horat. Epod. 1, 13. occidentis ad ultimum sinum, et Senecae Hippol. 568. Adde Val. Flacc. 6, 165.

Ultimus inde sinus saevumque cubile Promethei
Cernitur, in gelidas consurgens Caucasus Arctos,

Καύκασος ἐσχατόεις Theocriti. 7, 77. Curtius. 7, 3, 7. Huc praeterea pertinent, quae in ipso nostro libello legimus, cap. 29. sinus Imperii habentur ii, qui Decumates agros exercent. i. e. extrema quasi Imperii lacinia. et cap. 37. eundem Germaniae sinum proximi Oceano Cimbri tenent, extremam illam maris Septentrionalis oram, quam paulo ante, cap. 35. ingentem flexum dixerat: et Agric. 30. nos, terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit, quae egregie illustrat Jo. Frid. Gronov. Obss. 1, 4. p. 35. nuper attigit Carol. Lachmannus ad Propert 4, 21, 32. p. 321. adhaeret his secundaria illa, de qua supra loquutus sum, significatio ultimi refugii, quod aut in imis terrae latebris et munimentis quaerendum est, — in sinu et urbe cavendus hostis, Histor. 3, 38. de extremo periculo. — aut in extremis desertissimisque regionibus.

Ut jam ad nostrum locum revertar, sinum de mari intelligere statim vetat quod addidit verbum Tacitus: efficit sinum Oceanus, ut apud Plin. hist. nat. 9, 2., complectitur neque se ipsum, neque sui ipsius partes, sed terras, paeninsulas, insulas. Nulla jam superest dubitatio, quin de eodem quo cap. 29. et 37. sinu loquatur, recteque sibi finxerat hanc Germaniae oram septentrionem versus magno flexu in Oceanum recedentem. Unum tantum in his assentientem habeo, sed Schloezerum, Hist. univ. Septentr. p. 141.]

nuper. Druso Germanico duce. Strab. 7. p. 291. [Drusus non ultra Chaucos circa ostium Amisiae penetravit, Dio Cass. 54, 32. p. 762. Mannert. Geogr. T. 3. p. 64. Tiberii autem classis ad Cimbrorum promontorium navigata, mare glaciale intravit, teste Vellejo. 2, 106. cujus fidem contra Lipsium et Longolium feliciter asseruerunt Chishull ad Monum. Ancyr. p. 847. Oberl. Ruhnken ad Vellej. l. l. et F. A. Wolfius post Sueton. T. 2. p. 398. Ad eandem Tiberii expeditionem respexisse putandus est Plin. hist. nat. 2, 67. 4, 27.]

[quos bellum aperuit. Histor. 2, 78. 4, 29. Agric. 22. frequentatur Livio. Burm. ad Lucan. 1, 465. et Burm. Sec. ad Anthol. Lat. 2, 88. T. 1. p. 233. sq. Rarior hic verbi ἀνοιγνύναι usus apud Graecos: Soph. Oed. Col. 515. μὴ, πρὸς ξενίας, ἀνοίξῃς, τᾶς σᾶς. Schol. μὴ ἀναπτύξῃς μου τὰ ἀναιδῆ ἔργα. Eurip. Jon. 1563. ἀνῴχθη πρᾶγμα μηνυθὲν τόδε. et plenius Med. 658. καθαρὰν ἀνοίξαντα κλῇδα φρενῶν.]

[clementer editus de montibus, Tacito familiare. Annal. 2, 33. 13, 39. Histor. 3, 52. Alia ex aliis auctoribus dabit Heindorf. ad Cic. de nat. Deor. 2, 57. p. 259.]

Abnobae. ex adverso Raurici Galliae oppidi. Plin. hist. nat. 4, 24. [Ruf. Fest. Avien. descr. orb. terr. 437.

Abnoba mons Istro pater est, cadit Abnobae hiatu
Flumen.

In libris Mss. Ptolemaei fluctuat scriptura inter Ἄβνοβα et Αὔνοβα et Αὐνοβαῖα ὄρη. 2, 11. p. 57. et 59. ed. Bertii.]

II.

quia nec terra — advehebantur. uti Aegyptii, Phoenices, Lydi, Phocaeenses, Graeci. Nobis vero, quorum conditores magna ex parte terra ex Asia advenisse constat, res alio modo se habere videtur. [Frid. Schlegel. de historia recent. p. 25. sq.]

[nec — et — non aliter Graeci: οὔτε — τε — et μήτε — τε —, v. Boeckh ad Simon. Socrat. p. XV. Sophocl. Antig. 763. Aload. fr. 11. Goerenz. ad Cic. de Legg. 1, 15. p. 66. Eadem structura reddenda videtur Horatio, Art. poet. 258. ubi de spondeo in paribus senariorum sedibus vitioso agit:

Hic NEC in Acci
Nobilibus trimetris adparet rarus, et Enni
In scaenam missos cum magno pondere versus
— — premit crimine turpi.

vulgo: Hic ET in Acci n. trimetris a. rarus: vix ad mentem Horatii.]

adversus Oceanus. cap. 34. 45. Agric. 10. [Diversa miscuit Bredovius. Lipsii explicationem: mare contrarium, navigantibus difficile, cui secundum mare opponit ipse Tacitus. Annal. 2, 98. adoptaverim, nisi addidisset noster: ut sic dixerim adv. Oceanus. Hinc reconditi quid in adjectivo latere haud dubium: Oceanus, extra orbem Romanum situs, eodem sensu adversus dictus esse videtur, quo Ciceroni, Somn. Scip. 6. de remotissimis regionibus loquuturo, aversa terrae pars.]

Asia aut Africa aut Italia relicta. Asia maxime quam dicimus minorem. Iustin. 41, 5. 42, 4, 7. Africa, provincia, terra Carthaginiensium. Italia. Virg. Georg. 2, 136. sqq.

[carminibus antiquis. Annal. 2, 88. „caniturque (Arminius) adhuc barbaras apud gentes; Graecorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur; Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi."]

Ingaevones. Plin. hist. nat. 4, 28. Germanorum genera quinque: Vindili, (al. Vandili.) quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones. Alterum genus Ingaevones, quorum pars Cimbri, Teutoni ac Chaucorum gentes. Proximi autem Rheno Istaevones, quorum pars Cimbri mediterranei Hermiones, quorum Suevi, Hermunduri, Chatti, Cherusci. Quinta pars Peucini, Basternae, supra dictis contermini Dacis (al. Bastarnae supra dicti, contermini Dacis.) [De Irmino Deo, sive Hermino, sive Hermanno, cui in Var. lectt. gentem suam restitui, docta nuperrime prodiit disputatio singularis Frid. Henr. ab Indagine (von der Hagen.) Vratisl. 1817. v. p. 27. 60.]

Marsi, Marschlaender: Vandali a circumvagando. (Wandeler.) [vera nomina, v. Moeser. Hist. Osnabr. 1. p. 134.]

Ceterum Germaniae vocabulum recens et nuper additum: quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint Ita nationis in nomen gentis evaluisse paulatim, ut omnes, primum a victis ob metum, mox a se ipsis, invento nomine, Germani vocarentur. [Ita locus scriptus est in ed. Bredov.] Locus in codd. mss. corruptissimus. In aliis abest, AC: in aliis est: nunc Tungri, nunc Germani: in omnibus: ita nationis nomen, non gentis evaluisse paulatim. Acidalius conjecit: Ita nationis nomen in nomen gentis ev. p. Lectio [a Bredovio.] recepta est e conjectura Jo. Henr. Vossii. In omnibus mss. est: primum a victore ob metum. Leibnitius volebat: a victo. A victis, est e conjectura. [Post Bredovium quoque locus noster infelicissimis conjecturis sollicitatus est: Frid. Wilkenius, Annal. Litterar. Heidelb. Sect. philol. 1808. Part. I. p. 75. proposuit haec: mox a se ipsis, invecto nomine, Germani vocarentur: et nuperrime A. Moebius, Athenaei a Frid. Günthero et Guil. Wachsmutho editi fasc. 1. p. 160. ut omnes, primum a victo, re ob metum, mox a se ipsis invento nomine Germani vocarentur, recte quidem refutata Longolii sententia. qui victorem Romanos esse putaverat. Sed sufficiet subjunxisse, quae de hoc loco monuit Geo. Ludov. Walchius. Emendatt. Livian. p. 79. „Ne literam „quidem velim mutari; ita sana sunt omnia et digna Tacito. „At neque, quid sit nomen nationis evaluit, NON gen„tis, neque, quid sit a victore appellari cogitarunt, qui „nuper locum corruperunt. — Commode explicabis: Ita unius „populi nomen, non autem gentis universae nomen paullatim ho„minum usu vim obtinuisse; ita ut Germaniae incolae primum

„secundum victores Tungros ab iis, qui sibi metuebant ab illis, „mox a semetipsis invento nomine Germani appellarentur.“ Graeci ἀπό, sive ἐπί τινός et ὑπό τινός καλεῖν, ὀνομάζεσθαι, ὄνομα τίθεσθαι accuratius distinguunt. Quaedam attulit Schaefer. melet. crit. p. 93. Νικαίαν αὐτὴν ἀπὸ τῆς νίκης χρὴ ὀνομάζεσθαι. Lucian. de conscrib. hist. 31. Steph. Thesaur. T. 2. p. 1324. — Restat monendum, quod in Var. Lectt. enotavi ex edit. Viennensi: mox et a se ipsis, hoc jam Ernestium e cod. Arundel. protulisse.]

ac nunc Tungri. E sequenti vocati sint subintellige: vocentur: ac qui nunc Tungri vocentur. [Walchio quoque probante: possis comparare cap. 36. Ita qui olim boni aequique Cherusci (vocati sunt,) nunc inertes et stulti vocantur.] Caesar nomen Tungrorum non habet: Condrusos vero, Eburones, Caeresos, Paemanos uno nomine Germanos appellari tradit, Bell. Gall. 2, 4, 10. et Aduatuca, quod in mediis fere finibus Eburonum castellum ponit Caesar. B. G. 6, 32, 3. est Ptolemaeo caput Tungrorum, Geogr. 2, 9. p. 53. Nomen Germanorum, quo Romani majores nostros nominavere, ab eadem origine ductum esse videtur, unde vox Gallica: guerre: ita ut Galli pulsi victique illos Rhenum transgressos non nomine apud ipsos jam usitato, sed nomine invento, ob metum Viros belli vocaverint. Quod nomen ceteris nationibus gentis Teutonicae, boni ominis causa, placuit, ut se ipsos Germanos vocarent, qua ratione nationis (sc. nomen e sequenti.) in nomen gentis evaluit. [Diversissimas de Germanorum nomine sententias v. apud Strabon. 7. p. 290. Moeser, Hist. Osnabr. 1. p. 129. Adelung, antiquiss. Germ. hist. p. 141. sqq. et Frid. Schlegel. de hist. recent. p. 62.]

gens, tanquam genus, singulas nationes, tanquam natas sive filias complectitur. Annal. 11, 1. Germ. 38. [Longol. ad Germ. 27. Interpp. Agric. 11.] Evalescere. cap. 28. Histor. 1, 80. ἐκνικᾶν. Thucyd. 1, 3. [Spalding. ad Quinctil. Instit. Rhet. 8, 6, 32. et 9, 3, 13.]

III.

Herculem memorant Romani ex interpretatione Romana, cap. 43. [cap. 9. Herculem ac Martem concessis animalibus placant. 34. superesse adhuc Herculis columnas, fama vulgavit, sive adiit Hercules, seu quicquid ubique magnificum est, in claritatem ejus referre consensimus. Annal. 2, 12. cf. Schloezeri hist. univ. Septentr. p. 137.]

Barditus seu Baritus dictus est a Germanico: Baren, clamare. Histor. 2, 22. Ammian. Marcell. 16. 30. [Jul. Caes. B. G. 7, 84, 4. Tacit. Hist. 4, 18. et de aliis gentibus similia apud Gellium 1, 11. Quod jam in Var. Lect., rationibus etymologicis adductus, observavi, scripturam Baritus veriorem esse videri, hoc idem ab Adelungio quoque monitum video, Hist. antiq. Germ. p. 388. Multum differt sententia Burmanni Sec. ad Anthol. Lat. 5, 145. T. 2. p. 440. litteram caninam geminatam unice recte habere judicantis: addit haec: „forte et illic pro relatu corrigendum boatu. hunc vero barritum ab incondito illo elephantum clamore dixerunt Romani, licet proprium Germanornm verbum, et ex eorum lingua derivandum esse censeat Lipsius de mil. Rom. 4. p. 204.“ Lipsium verum vidisse ipsa Taciti verba testantur: quem Baritum vocant. Ceterum aliam atque Ernestius hujus loci scripturam e cod. Arund. attulit Burmannus: Blandicum.]

futuraeque pugnae fortunam. Accuratius certe scripsisset: futuramque pugnae fortunam: vitium e proximo vocabulo pugnae facillime poterat oriri. [male: ante pugnam canebant Baritum, τῦ τῆς μελλῦσης μάχης δαίμονος πειρασόμενοι. Quam in sequentibus institui distinctionem, eam minime infringunt, quae possint videri alteram rationem firmare, Histor. 4, 18. „Ut virorum cantu, feminarum ululatu sonuit acies, nequaquam par a legionibus cohortibusque redditur clamor.“ Sed cum annotatione Lipsii aptissima sunt ad confutandam Bredovii conjecturam.]

[virtutis concentus videntur. In Varr. Lectt. oblitus sum indicare, Rhenanum videtur rescripsisse pro videntur, quod Oberlinus, cetera Rhenanum sequutus, intactum reliquit.]

Ulixem quidam opin. Inter hos certe fuit Strabo, qui Ulyssem Tartessum ultra progressum esse, urbemque Ulysseam et alia sexcenta errorum Ulyssis in Hispania vestigia exstare contendit. 3. p. 149. cf. Solin. polyh. 25. 26. Asciburgium corruptum est: nulla enim verba Graeca sunt, e quibus compositum esse videri potuisset. Aut vox Graeca post nominatumque addenda est. [v. Varr. Lectt. Iterum habemus Asciburgium Histor. 4, 33. ita ut de nomine dubitare non liceat]

[aram — Ulixi consecratam. ab Ulixe, optime interpretatur Ern. laudans Annal. 15. 41. aedes Statoris Jovis vota Romulo. Sueton. Aug. 1. ara Octavio consecrata. ubi v. F. A. Wolfium. versus tibi factos v. apud Horat. ars poet. 427. et πεποίηταί μοι, εἴρηταί μοι pro feci, dixi apud Graecos in usu satis vulgari.]

Graecis litteris. Caesar. B. G. 1, 29, 1. In castris Helvetiorum tabulae repertae sunt litteris Graecis confecta. 6, 14, 3. Galli in publicis privatisque rationibus Graecis utuntur litteris. — Massiliam coloniam deduxerunt Asiatici Phocaeenses, Graeco sermone usi. a quibus Galli usum vitae cultioris discentes, litterarum quoque usum, qui antea apud eos nullus erat, accepisse videntur. Strab. 4, p. 179. Justin. 43, 4.

IV.

[nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos. Multis offensioni fuit adjectivi ejusdem repetitio, quam emendando amoliri conati sunt: si quid video male. Apud Graecos quidem certatim de pleonasmo quodam vocabuli ἄλλος monuerunt V. D. Heindorf. ad Plat. Gorg. 64. p. 91. et ad Phaedon. 137. p. 234. Weiskius, Pleon. Graec. p. 60. Boeckh ad Plat. Min. p. 146. J. G. Schneider. ad Xenoph. Anab. 1, 5, 5. Buttmann. Ind. ad Plat. Dial. quat. p. 212. Jacobs. Addit. animadv. in Athen. p. 22. quam adjectivi redundantiam jam Homericam esse primus observavit Georg. Lud. Walchius, Emend. Livian. p. 59. laudans Odyss. 16, 264. et 20, 185. adde

Odyss. 1, 133.

πὰρ δ' αὐτὸς κλισμὸν θέτο ποικίλον, ἔκτοθεν ἄλλων μνηστήρων.

Odyss. 6, 84.

αἱ δ' ἄμοτον τανύοντο, φέρον δ' ἐσθῆτα, καὶ αὐτήν,
οὐκ οἴην· ἅμα τῇγε καὶ ἀμφίπολοι κίον ἄλλαι.

Quem usum nec a scriptoribus Latinis alienum esse, idem evicit Walchius: exemplum satis illustre habes apud Ovid. Metam. 10, 309.

Cinnamaque, costumque suam, sudataque ligno
Tura ferat, floresque alios Panchaia tellus,

quem locum frustra tentarunt interpretes. Naturam idiomatis aperuerunt Erfurdt. ad Soph. Oed. Tyr. 7. F. A. Wolfius ad Plat. Phaedo. 19. p. 32. et Cens. eruditus in Ephem. litt. Jen. 1813. nr. 20. p. 157. quae si accurate inspexeris, hunc usum a Taciti verbis alienissimum esse non dubitabis. Propius jam abest illa adjectivi vis, de qua egit Ernest. Clav. Cic. p. 322. nec haec Graecis ignota, ἄλλος interdum pro ἀλλότριος adhibentibus, Odyss. 23, 274. Erfurdt ad Soph. Oed. Tyr. 231. Sed praestabit, locum e structura in ipsa periodo mutata explicare. Dicturus erat: nullis aliis nisi popularibus connubiis

mixtos, quae eo facilius licebat variare, quanto usitatior apud veteres luxuries quaedam in geminato adjectivo alius. Haud absimilia mutatae constructionis exempla dabit Ruhnken, ad Rutil. Lup. 2, 6. p. 95.]

[infectos. Verbis inficere, vitiare, corrumpere, venenare, et Graecis μιαίνειν, μολύνειν, φθείρειν non adhaeret notio rei in pejus mutatae, sed mixtae tantum et non jam sincerae. v. Iliad. 4, 141. Pors. ad Eurip. Orest. 909. Schaefer ad Dionys. Hal. de comp. verb. p. 131. Germ. cap. 23. Interpp. Virg. Georg. 2, 466. et Persii. 2, 64. hinc Gallograeci Floro. 2, 1. adulterata gens dicuntur.]

[tantum ad impetum valida. Annal. 2, 14. Corpus ut visu torvum et ad brevem impetum validum, sic nulla vulnerum patientia.]

coelo solove. Ita in omnibus libris, neque [cum Perizonio.] mutandum est in soloque. Nam VE et vel conjungunt quoque. cap. 42. Marcomannis Quadisve — reges manserunt. Virg. Aen. 6, 769.

Silvius Aeneas, pariter pietate vel armis
Egregius. —

[Particula VE nunquam non disjungit: alterum Taciti locum Bredovius ipse correctum dedit: hic coelo ad frigora referendum, solo ad inediam, qui sensus non nisi adhibita particula disjunctiva poterat effici. Saepe vero tam leve vocum discrimen indicat, ut non multum recedat a vi copulae. v. Goerenz ad Cic. de fin. 5, 21. p. 605. Nec versus Virgilii satis certus, quamvis in universum de illo voculae vel usu dubitare haud liceat. v. Schwarz. ad Tursellin. de part. p. 896. s.]

V.

aliquanto. Ne Ernestii illud ad Sueton. Caes. 86. „aliquanto est longe et plurimum" in errorem duceret, F. A. Wolfius [ad cap. 10. p. 13.] monuit: „Aliquantum per se incertae potestatis est, sicut cognata vocabula: aliquis, aliquandiu, aliquot, v. c. quum dicitur: aliqua inest difficultas, aliquot anni etc. Hi possunt esse decem, possunt etiam esse 40, 60." — Ita hoc loco aliquanto nequaquam est non parum, multis partibus.

[silvis horrida. Praeclarum silvarum Germanicarum descriptionem habes apud Plin. hist. nat. 16, 2.]

satis ferax. segetibus. [ferax oleo. Virg. Georg. 2, 222. ferax bonis artibus. Plin. epist. 4, 13, 8.]

[pecorum — improcera. „Terra nostra est improcera ob improcera corpora pecudum." F. A. Wolfius ad Annal. 1, 10. p. 36. Simillima est breviloquentia cap. 6. nudi, aut sagulo leves. fecunda propter praestantissima pascua prataque herbosa: nam quid laudatius, Germaniae pabulis? Plin. hist. nat. 17, 4. Claudian. Laud. Stilic. 1, 224.]

honor, gravitas e pinguedine et nitore. gloria frontis, cornua iis sunt, sed non talia, quae frontem decorent.

nullam Germaniae venam. Annal. 11, 20. in agro Mattiaco recluserat (Curtius Rufus. Eq. Rom. A. Chr. 47.) specus quaerendis venis argenti, unde tenuis fructus, nec in longum fuit.

haud perinde. puta: ac nos Romani et omnes fere aliae nationes.

Serratos numos, quorum ambitus dentatus est in modum serrae: [Denarii, quorum exterior ora in serrae modum est incisa. Eckhel. Doctr. num. vetr. proleg. ad num. fam. cap. 16. Oberl.] Bigatos, quibus bigarum forma impressa sive incusa.

VI.

[Duo instituta bellica apud Germanos accurate sunt dignoscenda, expeditiones ab universa natione ingenuisque omnibus susceptae, (Heerbann. Volksbewaffnung.) et comitatus nobilium: de illis loquitur Tacitus hinc usque ad cap. 13. de comitatu, cap. 13. 14. v. Moeser. Hist. Osnabr. 1. p. 63. Frid. Wilken. Hist. Germ. 1. p. 47. Gebauer. Vestig. jur. Germ. p. 93. sq.]

[ne ferrum quidem superest. i. e. abunde suppetit. Histor. 1, 51. 83. Agric. 45. Gellius. 1, 22. Non optime de hac verbi potestate egit Ernest. ad Sueton. Tit. 1. Eodem modo superare usurpatur pro abundare. Cortius ad Sallust. Jug. 64, 1.]

[ex genere telorum. Germanicus Caes. apud Tacit. Annal. 2, 14. „nec enim immensa barbarorum scuta, enormes hastas, inter truncos arborum et enata humo virgulta perinde haberi, quam pila et gladios et haerentia corpori tegmina. — non loricam Germano, non galeam; ne scuta quidem ferro nervove firmata, sed viminum textus, sed tenues, fucatas colore, tabulas: primam utcunque aciem hastatam; ceteris praeusta aut brevia tela. —"]

Frameas. Pfram. Pfrimen. [cap. 11. 13. 14. 24. Juvenal. 13, 79. Isidor. Orig. 18, 6. p. 1269, 20. Gothofr. „Framea gladius ex utraque parte acutus, quam vulgo Spatam vocant:

ipsa est et Rhomphaea: Framea autem dicta, quod ferrea est: nam sicut ferramentum, sic Framea dicitur, ac proinde omnis gladius Framea." satis indocte!]

nudi. Caes. B. G. 6, 21, 5. „pellibus aut parvis rhenonum tegimentis utuntur, magna corporis parte nuda." [Loquitur Caesar de vestitu domestico: de nuditate corporum Germanis temere afficta pererudita exstat disquisitio Gebaueri, Vestig. p. 364. sq.]

[scuta coloribus distinguunt. Annal. 2, 14. Cic. de orat. 2, 66. „demonstravi digito pictum Gallum in Mariano scuto Cimbrico, distortum, ejecta lingua, buccis fluentibus." cf. Plin. hist. nat. 35, 8.]

in morem nostrum. vid. Virg. Georg. 3, 190. sq. [Wernsd. ad Stat. Silv. 4, 7, 3. et ad Salej. Bass. ad Pison. 54. Poet. Lat. Min. T. 3. p. 379. et T. 4. p. 247. Heynius ad Tibull. 4, 1, 94.]

mixti proeliantur. Caes. B. G. 1, 48. [Germanos in pugna Pharsalica imitatus est Caesar. Bell. Civ. 3, 75, 5. et 84, 3.]

per cuneos. Agathias [de imp. Justin. 2. T. 7. p. 32. Corp. Hist. Byz. Venet.] aciem Francorum comparat *ἐμβόλῳ*, i. e. rostro navis, sive *δελτωτῷ*, triangulo. *φαίης ἂν αὐτοὺς συνὸς κεφαλὴν τῇ συνθέσει ἀποτυπώσασθαι.* [Hinc Romanis Caput Porcinum dicebatur, Stevech. ad Veget. 3, 19. cf. Tacit. Histor. 4, 16. Cluver. Germ. antiq. 1, 50. p. 383.]

[cedere loco. Ita Cherusci Cariovaldam, fuga simulata in loca saltuosa deductum, fuderunt. Annal. 2, 11. Ceterum de Germanis, audacissimis mortis contemptoribus, multa legimus apud scriptores antiquos, nihil vero memorabilius loco Lucani. 1, 446. sqq. Patet inde, persuasionem de reditu post mortem vitae, inter Germanos vulgatissimam, nec Romanis ignotam fuisse. Convenit Appian. Celt. p. 755. D. Steph. De ignominiosis v. Moeser, Hist. Osn. 1. p. 52. 60.]

VII.

et duces. sc. *ὄντες*. exemplo potius, etc.

animadvertere. i. e. interficere. Histor. 1, 46. 4, 49. — „Quum bellum civitas aut illatum defendit, aut infert, magistratus, qui ei bello praesint, et vitae necisque habeant potestatem, deliguntur." Caes. B. G. 6, 23.

effigiesque et signa quaedam. int. ferarum. Histor. 4, 22. aut signa bellica. cf. intra cap. 9. et 45. [v. Var. Lect. ad locum posteriorem.]

turmam equitum aut cuneum peditum.

exigere, ut sarta texta exigere, ad summam veritatem jus exigere, [Jo. Frid. Gronov.] i. e. taxare et dignoscere. [„numerare et expendere atque comparare inter se vulnera, cum laude ejus qui majora et honestiora tulerit." Jo. Frid. Gronov. obss. p. 60.]

[hortamina pugnantibus gestant. Histor. 4, 18. „Civilis, captarum cohortium signis circumdatus, ut suo militi recens gloria ante oculos et hostes memoria cladis terrerentur, matrem suam sororesque, simul omnium conjuges parvosque liberos, consistere a tergo jubet: hortamenta victoriae, vel pulsis pudorem." Concidunt igitur hariolationes putidissimae Coleri, Trilleri, aliorum, per se sat ridiculae. De virtute mulierum Germanicarum per bella et proelia multa congessit Gebauer. praef. ad Lohenstenii Armin. p. 37. sq. Plane eadem de Britannis narrat Tacit. Annal. 14, 34. Agric. 32. de Thracibus, Annal. 4, 51.]

VIII.

objectu pectorum. pectora telis hostium objicientes. [Suis potius supplices objiciebant pectora, mortem pro captivitate expetentes: simili constantia M. Atilius aciem contra Samnes restituisse dicitur. Frontin. strategem. 2, 8, 9.]

[obsides puellae. v. Interpp. Sueton. Octav. 21.]

[inesse sanctum aliquid et providum. Caes. B. G. 1, 50, 4. Strabo. p. 294. et de Britannis Tac. Ann. 14, 29. De summa qua feminae omnibus temporibus apud Germanos usae sint auctoritate post Anton. hist. nat. Germ. 1. p. 108. dixit Frid. Lud. Jahn, Deutsches Volksthum. p. 433.]

Veledam. de qua multa noster Histor. 4, 61. 65. quam captivam et in triumpho postea ductam esse colligas ex Statio. Silv. 1, 4, 89.

non vacat Arctoas acies Rhenumque rebellem
Captivaeque preces Veledae.

Dio Cass. 67, 5. *Γαῦνα παρθένος μετὰ τὴν Βελῆδαν ἐν τῇ Κελτικῇ θειάζουσα.* [Veledam a popularibus suis, fortasse ab ipso Civili, Romanis in conditionem pacis proditam esse, patet ex Histor. 5, 25. cf. Moeser. Hist. Osn. 1. p. 164. Deperdita Historiarum capita haud dubie virginis fatidicae exitum continebant. Qui vero e nostro loco collegerunt, Tacitum in Germania adfuisse, ii sane sunt lapsi: repugnat lingua, quod monui in Var. lect. cap. 29. repugnat ipsa Taciti narratio, Histor. 4,

65. Turpius tamen peccarunt, qui, hoc et aliis haud melioribus argumentis refutatis, totam rem diluisse sibi visi sunt, recentiores Taciti interpretes, Hamberger, Notit. litt. 2. p. 230. Schloezer. hist. univ. Septentr. p. 127. F. A. Ukert. Geogr. Graec. et Rom. 1, 1. p. 215. alii. Sed haec altioris sunt indaginis, nec pauculis verbis absolvenda: sufficiat igitur monuisse, rem adhuc esse integram.]

Aurinia aut Alurinia aut cum Iornande [de reb. Getic. 24.] Alioruna non singulae cujusdam mulieris magae, sed omnium feminarum fatidicarum inter Germanos nomen fuisse videtur, quas nationes Septentrionales Alrunas vocabant, i. e. omnium rerum gnaras.

IX.

Quem Tacitus Romana interpretatione Mercurium vocat, Odin vel Wodan Germanis appellatus fuisse videtur, eundemque esse dixerim, qui Mars existimatus est. Varii religionis ritus unius Dei ad varios Deos pertinere videbantur. Nam Marti quoque hostes captos sacrificasse Germani dicuntur. Annal. 1, 61. 13, 57. De Iside vero plane dubitaverim: quod et Suevis signum navis erat et Isidi navis sacrata, hinc Isidem coli apud Suevos Romani temere collegere. [„Wodan sane — ipse est, qui apud Romanos Mercurius dicitur." Paul. Warnefr. de reb. Langob. 1, 10. Gallos quoque Mercurium Deorum maxime coluisse auctor est Caes. B. G. 6, 17, 1. Thraces Herodot. 5, 7. Martem vero Germanorum diversum fuisse a Mercurio, Tacitus ipse clare indicat, Annal. 13, 57. „diversam aciem Marti AC Mercurio sacravere." cf. Histor. 4, 64. Quem Martem dicit Tacitus, Thor sive Thoron Germanorum fuisse videtur B. G. Niebuhrio, Hist. Roman. T. 1. p. 94. Quod idem vir egregius addit, Mercurium Martemve appellari Deum illum, qui apud Germanos praesit diei Mercurii vel Martis, hoc non nisi de Mercurio verum esse potest.]

[Isidi sacrificat. Quem non exercuit Isis inter Germanos! v. Gebauer. Vestig. p. 857. sq. et Moeser. Hist. Osn. 1. p. 56. sq. Ingentem vanarum conjecturarum numerum novis accumulare nolo.]

lucus, a λύκη crepusculum, silva densior, inumbrans. nemus, νέμος, silva rarior, in quo jumenta et pecora pascuntur, Gehölz. [silva Herculi sacra. Annal. 2, 12. lucus Baduhennae apud Frisios. Annal 4, 73. cf. Histor. 4, 14. Germ. 39. 40. 43. Moeser. Hist. Osn. 1. p. 52. Templum Tanfanae apud Marsos, Annal. 1, 51., fueritne lucus an domus ambigitur.]

X.

Auspicia. i. e. aviumspicia, observatio signorum, quae ab ipsis Diis dari videbantur. [Sortium consulendarum consuetudo, quam describit Tacitus, apud Scythas quoque reperiebatur, teste Herodoto. 4, 67. ubi vide Wesselingium, T. 5. p. 236. Schweigh. et Schol. Nicand. Ther. 612. p. 94. Schneid. adde Antonium, interp. vern. p. 112.]

consuletur. Muretus legit: consultatur, quod probo. [quod factum nolim. Tacito verbum consultare haud adhibetur de rebus sacris, consulere aliquoties. Ann. 14, 30. et ita probatissimi auctores consulere sortes, Ovid. Met. 11, 412. et consulere sortibus. Caes. B. G. 1, 53, 7. absolute quoque positum est ap. Plin. epist. 2, 20, 3. porro: consulere Deos, oracula, haruspicem, Mathematicos, exta etc. v. Forcellin. Consultare hac quidem potestate bis legere memini, Plin. hist. nat. 32, 8. et Plin. Panegyr. 76, 7. sed fluctuat utriusque loci scriptura, nec si staret idonea hic mutandi causa foret. In tempore futuro, quo usus est Tacitus, nemo puto offendet: reddas haec: wenn von Staatswegen die heiligen Loose befragt werden sollen.]

[si prohibuerunt. v. Moeser. Hist. Osnabr. 1., p. 51. Supplet: Dii, vix recte.]

[proprium gentis, equorum quoque praesagia ac monitus experiri. Respicit Romanos: nam Persas quoque equis candidis in rebus sacris usos esse, Tacitum certe non fugerat. v. Herodot. 1, 189. et 7, 55. Justin. 1, 10, 5.]

XI.

[Caput hocce gravissimi Argumenti vernacule interpretatus est Klopstockius, Reipubl. Litterar. p. 249. illustravit singulas partes Moeser. Hist. Osnab. 1. p. 23. 35. 48. sq. Verba: ut jussi non conveniunt, sic enim scripsit locum, prave accepit. Explicuit Gebauer. Vestig. p. 29.]

constituere, cum aliquo aliquid statuere, verabreden: „pecuniam in hunc diem me soluturum esse constitui," aut: „pecuniam in hunc diem constitui." — Condicere, denunciare rem esse agendam in certum diem, condicere diem, einen Termin setzen. [Jo. Frid. Gronov. obss. 1, 1. p. 13.]

Ut turba, ut numerus turbae, quae convenerat, satis magnus esse videtur. [v. Var. lect.]

[armis laudare. Histor. 5, 17. Caesar. B.G. 8, 21.]

XII.

discrimen capitis intendere, i. e. causam in aliquem magna cum vi tendere, ut de vita et nece discernatur.

coeno mergunt. Virg. Aen. 6, 267.

flagitia. „Quod agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum et corpus suum, flagitium vocatur." Augustin. de Doctr. Christ. 3, 10.

[pars mulctae regi. v. Moeser. Hist. Osn. 1. p. 26.]

Centeni. Capitular. Caroli M. 4, 26. „Controversia coram Centenario definiri potest, excepta redditione terrae et mancipiorum, quae non nisi coram comite fieri potest." Leg. Alemann. tit. 36. „Conventus secundum consuetudinem antiquam fiat in omni Centena, coram Comite aut suo Misso et coram Centenario." Pagus centum vicos complexus esse videtur. [Quae sequuntur, a Bredovio, cum nonnullis interpretibus instituta militaria et civilia permiscente, ad caput sextum monita sunt: sed hic demum iis locus erat.] Hinc etiamnum in Anglia pagos (Gauen.) divisos videmus in partes, quae dicuntur Hundreds: et qui his partibus praesunt, the Hunderter appellantur, more a Saxonibus et Anglis in Britanniam e Germania traducto. [Malmesbur. Hist 2, 4.]

XIII.

quam civitas. Quam cives judicaverint, eum esse probatum suffecturumque armis gerendis et laboribus belli sustinendis.

nobilitas aut patrum merita faciunt, ut filii eorum etiam adolescentuli digni judicentur principatu, ut jam de adolescentulis praedicetur, eos fore quondam principes. Hinc contra morem nobilium fortiumque filii quanquam adolescentuli ceteris robustioribus et jam pridem probatis aggregantur. Hic desinit sententia, et verba sequentia: nec rubor, novam incipiunt: quanquam vero magna est dignitas principis: tamen nequaquam rubore afficit et principum filios in comitatu aspici, cujus etiam gradus sunt. [Möser Hist. Osn. 1. p. 46. s. et p. 65. s.]

expetuntur principes, quibus magnus comitatus est, legationibus, ut auxilium ferant, ut amici sint. [Annal. 1, 36. 2, 45.]

XIV.

quia et ingrata genti quies. Adolescentes bellum quaerunt, duplici causa moti, quia et ingrata quies, et facilius in bellorum periculis clarescere sperant. Quae sequuntur: magnumque comitatum non nisi vi belloque tueare, non a voce quia pendent, sed universim adjecta sunt: et, quia adolescentes bello laborem et gloriam quaerunt, principes non nisi bello magnum adolescentium comitatum tueri possunt.

annum. i. e. messem Statius Silv. 3, 2, 22.

navis Pharium gravis intulit annum.

[„Annos de proventu annorum saepius dixere aequales Tacito „poetae, Statius, Juvenalis, Silius, v. Markland ad Stat. Silv. 3, „p. 71. Ruhnken. in praef. ad Lex. Scheller. h. v. et ipse voce „utitur de segete Germ. 14.“ G. L. Walchius, Emend. Liv. p. 107. hinc feliciter restituens vexatum Agric. cap. 31. locum.]

vocare. provocare. Histor. 4, 80. Virg. Georg. 4, 76. [Herodotus. 5, 6. de Thracibus: *ἀργὸν εἶναι, κάλλιςον· γῆς δὲ ἐργάτην, ἀτιμότατον. τὸ ζῆν ἀπὸ πολέμυ καὶ ληϊςύος, κάλλιςον.*]

XV.

multum venatibus — plus —. sc. temporis. [conf. Schaefer. ad Lamb. Bos. ellips. p. 547. Ceterum in notis interpretationi vernaculae subjectis de scriptura hujus loci rectius judicavit Bredovius, quam in editione.]

venatibus — per otium. Hyperbaton Tacito familiare: 40. per obsequium — proeliis. Agric. 9. virtute aut per artem. 41. temeritate aut per ignaviam. Annal. 1, 2. per acies aut proscriptione. Sueton. Caes. 16. vi ac per arma. [Longol.]

[mira diversitate. Tacito saepius diversitas pro repugnantia dicitur, diversum pro contrario. Annal. 6, 22. 13, 2.]

vel armentorum vel frugum. imitatur Graecos. Aelian. var. hist 11, 5. *ἐνέβαλον τῶν ἱερῶν χρημάτων.* Appulej. Metam. 5. „Sic ille novae nuptae precibus veniam tribuit, et insuper quibuscunque vellet eas auri vel monilium donare concessit.“ [v. var. lectt. et adde Schaefer. ad L. Bos. ell. p. 475. s. et Ernest. ad Histor. 4, 15.]

XVI.

[Initium hujus capitis nonnullis repugnare visum est capiti 26: sustulerunt difficultates Moeser. Hist. Osn. 1. p. 115. et Frid. Wilken. hist. Germ. 1. p. 44. 45. Causas urbium a Germanis spretarum aperit oratio Tencterorum, Histor. 4, 64.]

materiae, qua ad aedificia utuntur, nulla certa est forma: nulla ei est species, non est speciosa, sie hat kein Ansehn; non delectat oculos vel animum. [Annal. 4, 6. Agric. 4. cf. Dial. de orat. 20. extr.]

terra ita pura, fortasse gypso.

[suffugium hiemi. Plin. hist. nat. 19, 2, 1.]

XVII.

Sagum, vestis non ampla, quae humeros tantum et terga tegeret: rusticis maxime et militibus Romanornm usitata. [Mela. 3, 3. Sagum, quod rhenonem dicit Caes. B. G. 6, 21. manicis instructum fuisse, postrema capitis verba docent: tale vero vestimentum domi gestare, Romanis indecorum videbatur. Gellius. 7, 12.]

stricta. int. braccas, unde etiam Gallia Braccata. [Casaub. ad Pers. 3, 53. de fluitantibus Sarmatarum Parthorumque vestibus Interpp. Lucani. 1, 430.]

[ferarum pelles. Vestes pellitae; pelles enim nulla arte subactae aut exornatae summae feritatis indicium sunt in Fennis. cap. 45. Vestimentorum vero pellitorum usus a Germanis ad Romanos pervenisse videtur. v. Claud. Rutil. Numatian. Itin. 2, 49. et utilissimum Jo. Beckmanni librum, Vorrath kleiner Anmerkk. 1, 11. p. 87.]

ripae, Rheni et Danubii, quorum accolae, cultu a Romanis accepto, pelles negligebant. Qui vero ultra hos habitabant, remotiores a Rheno, in vestitu pelliceo artem et cultum adhibent. Non sumunt pelles quaslibet, sed eligunt feras, earumque velamina variant coloribus super ea sparsis, [?] aut pellibus rariorum minorumque beluarum, quas, Romano non cognitas, mare ignotum gignere credebant. Re vera autem fuisse videntur ea animalia, quae nos Zobel et Hermelin vocamus, et quae Romanis quoque nota fuisse docti putant sub nominibus martium [quae scriptura satis est dubia apud Martial. 10, 37, 18. praeterea nusquam legimus vocabulum.] Scythicarum, pellium Parthicarum, murium Ponticorum.

lineis. Plin. hist. nat. 19, 1. „Iam quidem et Transrhenani hostes vela e line texunt, nec pulchriorem aliam vestem eorum feminae novere."

brachia ac lacertos. Ovid. Metam. 1, 500. [Longol.]

XVIII.

[ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. cujus rei exemplum habemus Ariovistum apud Caes. B. G. 1, 53. Latinum ambire connubiis diverso sensu adhibuit Virg. Aen. 7, 333.]

Dotem non uxor —. In duobus codd. est: Dotem non uxor, sed uxori maritus offert, omisso marito, quod magis ex ingenio Taciti esse videtur. Ad verba: accipere se, repetas: admonetur, quae liberis inviolata ac digna, i. e. honesta, dignitate sua non privata, reddat. — Bipont. inviolata ac digna ad matrem referunt: quae munera liberis ipsa mater, sancta et honesta, si superfuerit, reddat. [Sed v. Var. lectt. Munerum nuptialium eadem ratio obtinebat apud Spartanos, v. Plutarch. apophth. Lacon. p. 227. Francof. quorum feminas non uno nomine possis comparare cum Germanicis. De dote ipsa consulendus est Gebauer. Vestig. p. 225. sq. de substantivo munera, non sine vi repetito, Interpp. Tibull. 1, 1, 39.]

XIX.

[Litterarum secreta. Multum disputatum est de his verbis, an Germanis cognitionem artis scriptoriae detraherent, necne? Vide quae plenissime congessit Adelung. hist. antiq. Germ. p. 375. sq. ipse haud dubie recte statuens, Tacitum in universum loqui de usu scripturae, qui nullus fuerit apud has nationes. Secreta litterarum apte opposita sunt simplici et ingenuae sermonis sinceritati. Nec quicquam efficitur exemplo Adgandestrii, Chattorum principis, Annal. 2, 88. qui litteris ad Senatum datis mortem Arminii promittebat, si patrandae neci venenum mitteretur, nec epistolis Marobodui ad Tiberium scriptis, Ann. 2, 63. De gente enim loquitur Tacitus, non de regibus nonnullis, qui artibus vitiisque Romanis erant corrupti.]

pudicitiae sc. virginis. [male.]

adhuc, usque ad hoc tempus. Cap. 22. [Vim addit comparationi. Quamvis omnes Germanorum civitates optime habere

videantur, melius tamen de iis actum est, in quibus tantum virginea nubunt. Cicero fortasse ita loqui dubitaverit; particulam etiam praeferens. sed apud probatissimos hujus aetatis scriptores nihil frequentius: Senec. epist. 49. init. adhuc paulo minus. epist. 57. adhuc tenuior est. epist. 85. si adhuc viliorem materiam attulisses. Quinctil. Instit. rhet. 2, 15, 28. adhuc concitatior. Sueton. Tiber. 17. amplior adhuc — cumulus. 44. Majore adhuc et turpiore insania flagravit. Plin. hist. nat. 18, 4. qui adhuc ea diligentius tractavere. Respondet Graecorum ἔτι, nostrumque noch.]

eae civitates. ut Heruli, apud quos adeo secundo matrimonio non locus, uti uxor, marito mortuo, laqueo sese statim juxta sepulcrum indueret, nisi invisa vivere mallet et infamis. Procop. Bell. Goth. 2, 14. Lipsius.

cum spe — semel transigitur. cf. Agric. 34. semel, einmal für allemal. Sic Quinctil. Inst. rhet. 9, 4. „Denique, ut semel finiam, sic fere componendum, quomodo pronunciandum erit." Et 11, 1. „denique, ut semel omnia complectar —."

ex agnatis. Agnasci vel adnasci dicebantur proprie ii, qui post familiam constitutam, ubi iam heres erat nominis et opum, nascebantur. Eos necare, in crudelissimis depravatae Romae moribus fuisse videtur, quos Tacitus h. l. notare vult. cf. Annal. 3, 25. [Histor. 5, 5. Notissimae sunt quaestiones super hac re controversae Gerh. Noodtii et Cornelii van Bynckershoek. Adde excursum Lipsii. p. 778. Oberl. ubi bonae illae leges enumerantur, et Gebauerum Vestig. p. 337. sq. Frustra Lipsio subiit mirari, Tacitum insignem illum Germanorum ritum de exploratione liberorum modo natorum, de quo v. Jacobsium ad Anthol. Graec. T. 3, 1. p. 285., ne verbo quidem attigisse: noluit scilicet auctor gravissimus fabulas Graecanicas repetere.]

XX.

delegantur. sumpta metaphora ab iis, qui creditoribus non ipsi solvunt ex arca, sed ad alios amandant, a quibus suo nomine, pecuniam accipiant, quod dicitur etiam solvere per delegationem. Hinc ceterae rationes dicendi ducuntur, quum, quod ipsi facere debebamus, id per alterum fieri curamus, et qui id a nobis petunt, ad alium rejicimus. Ernesti. [Quantum ab hac morum integritate Romani degeneraverint, docet Auctor dial. de orat. 29. Plin. Panegyr. 13. Favorin. ap. Gell. 12, 1.]

agnoscat. faciat ut agnoscantur.

domum latius. ut patri et avunculo cari. [v. Gebauer. Vestig. p. 540. sq.] Affines sunt viri et uxoris cognati, dicti ab eo quod duae cognationes, quae diversae inter se sunt, per nuptias copulantur, et altera ad alterius cognationis finem accedit. vid. cap. 22.

gratiosior non jucundior, sed: tanto major est gratia et amor senectutis: tanto magis senes amantur et coluntur.

XXI.

[suscipere inimicitias. Möser. Hist. Osnabr. 1. p. 24. 29. 42. Gebauer. vestig. p. 736.]

juxta libertatem. Tacitus amat hanc praepositionem. cf. 30. Annal. 6, 42. sign. prope ad, aut si libertas in propinquo, in promptu est.

quum defecere. sc. epulae. quum exhausta sunt, quae apparata erant. cf. 24.

[victus inter hospites comis. Sententiam, quam in Var. lectt. de hoc loco protuli, ipsa hujus capitis verba: convictibus et hospitiis non alia gens effusius indulget, haud parum asserunt.]

XXII.

simplices cogitationes, non faciles, lenes, sed sincerae, apertae, in quibus nihil simulati aut dissimulati. [Ruhnk. ad Timaei lex. p. 86.]

non astuta. Astutus, ab asty, qui fictus et occultus, simulando aliud quam gerit, decipit alios. callidus, qui hominum temporumque bene peritus ingenio ad fraudes dolosque abutitur.

salva est ratio. i. e. ratio constat, omnia utiliter sunt impensa, nihil male collocatum. Ita Plin. Paneg. 92. salva diligentiae tuae ratione. [Eundem Persarum morem narrat Herodot. 1, 133. Ceterum singula fere hujus capitis verba institutis Romanis opposita sunt. Surgebant Quirites ante lucem, lavabantur post pilam, junctis sedibus coenabant, ne quis in urbe cum armis esset, legibus Duodecim tabularum cautum erat, ante lucernas potare ignominiosum habebatur, per convivia denique mutua diffidentia regnabat. De convictibus Germanorum plura servavit Posidon. Rhod. p. 136. 141. Bake.]

XXIII.

frumentum, fruges cujuslibet generis, imprimis vero triticeum. Veget. 2, 57. Frumentacea farina, Weizenmehl. Hieronym. epist. 133. „Jesus in deserto plures ordeacis panibus pascit, frumentaceis pauciores.“

corruptus, a vera sua natura in alienum usum mutatus. Virg. Georg. 2, 466. [recte. v. quae monui in annot. ad cap. 4. mira protulit Ernestius. Potus hordeaceus ab Aegyptiis inventus esse videtur, nec Cretensibus ignotus erat. v. Wesseling ad Herodot. 2, 77. T. 5. p. 298. Schweigh., et ad Diodor. Sic. 2, 110. Interpp. Athen. 3. p. 114. Posidon. Rhod. p. 137. Plin. hist. nat. 22, 25. extr.]

recens fera. Pompon. Mela. 3, 3. „victu ita asperi, ut cruda etiam carne vescantur.“ [Posidonius contra, p. 141. προσφέρονται κρέα μεληδὸν ὠπτημένα, vero longe similius. Nec fera recens fera est cruda: Romani vero, saporis istius sublimioris magistri, laxam jam vietamque ferarum carnem diligebant. v. Interpp. Horat. Sat. 2, 8, 6. His igitur saniorem Germanorum rationem opponit noster.]

XXIV.

ludicrum, θεατρικόν, σκηνικόν: juvenes, qui hoc spectaculum agunt, quibus partes in hoc ludicro sunt. [De saltatione veterum Germanorum armata, Graecorum Πυῤῥίχη comparanda, v. Jo. Beckmanni Supell. obss. minor. 3, 7. p. 449.]

[fidem vocant. Moeser. Hist. Osnabr. 1. p. 59. cf. Tacit. Annal. 13, 54. De alea, Romae non nisi tempore Saturnalium concessa, v. Senftlebium in Thes. Gronov. T. 7.]

XXV.

Penates, Dii, qui domi coluntur, qui domum tuentur. hinc poetice pro domo, quam incolimus.

[verberare servum. respiciunt haec saevitiam Romanorum erga servos, inde a Servio Tullio innumeris legibus frustra coercitam. v. Interpp. Iuvenal. 6, 219. Plin. hist. nat. 9, 23. Heynii opusc. philol. T. 3. p. 189. Boettigeri Sabina. T. 1. p. 308.]

opere, labore graviori aut rustico aut militari in muniendis et exstruendis vallis, fossis, aggeribus.

Liberti. v. Sueton. Claud. 24. Temporibus Reipublicae Romanae antiquis manumissi erant liberti, filii manumissorum libertini, et ingenuitate non nisi nepotes libertorum fruebantur. Postea labentibus Reipublice moribus invaluit, ut ingenui statim essent ex manumissis procreati, ipsique manumissi haberent libertinitatem: siquidem libertinus vulgo respectu conditionis, libertus respectu patroni dicebatur. Hoc loco liberti sunt ipsi a domino manumissi: mox postquam Tacitus orationem a domo familiaque orationem ad civitatem gentesque avertit, conditionem in civitate tantum respiciens libertinos appellat, qui apud eos Germanos, qui non regi obediunt, quibus monarchia non est, impares, non pares habentur ingenuis et nobilibus. [Aegre caremus iis, quae de hac re ad nostrum locum disputaturum se pronunciavit F. A. Wolfius ad Sueton. l. l.]

[momentum in domo, quantum fuerit libertinorum apud Romanos, uberrime docuit Gebauer. Vestig. p. 430. sq. adde. Epigr. Anthol. Lat. 4, 335 — 398. et Wernsd. prooem. ad Columell. de re hort. Poet. Lat. Min. T. 6, 1. p. 6. Ultima capitis verba acerrime invehuntur in Romanos. v. Cic. ad Quint. frat. 1, 1.]

XXVI.

Fenus non extenditur IN usuras, sed PER usuras, aut usuris. Ernesti. [sed v. Var. lectt. In notis interp. German. subjunctis Bredovius vulgatam ita tuetur, ut verba: in usuras extendere, separet a foenere, pecuniamque suppleat.]

ab universis, substantivo careret, si per vices aut in vices legis: hoc vero paulo post dicit per annos. Vici vero dicti ut civitates, quod rarius occurrit ob raritatem rei. Caes. B. G. 6, 22. „Agriculturae non student, neque quisquam agri modum certum ac fines proprios habet: sed magistratus in annos singulos gentibus nationibusque hominum, qui una coierunt, quantum eis et quo loco visum est, attribuunt agri, atque anno post alio transire cogunt.“ — [v. Var. lectt. nam quae Bredovius protulit de defectu substantivi, ea nemini difficultatem movebunt.]

Terra opponitur mari et coelo, Erde. — Solum, quod cuivis rei subjacet, quod aliquid sustinet, e quo alia enascuntur, Grund und Boden. — Campus, magnus, etiam liberioris aquae, Ebene, Feld. — Ager, territorium urbi circumjectum, Gebiet; quo cives uti solent ad fructum faciendum: ager pas-

cuus, Trift: ager sylvestris: ager novalis, Brachacker: agri ar-bos ac vitis: maximo vero ager qui colitur frumentis gignendis, Acker. — Arvum, ager arvus, i. e. aratus, quod aratum non satum est, Saatfeld.

pomaria conserant. Non fruges tantum, sed etiam plantae seruntur. Virg. Georg. 2, 267. 275. — hortos rigent. Virg. Georg. 4, 115. sq.

auctumnus tempus, quo poma atque uvae colliguntur: quae cum Germanis nullae essent, neque auctumni nomen iis esse Romani credebant.

XXVII.

ambitio, alios ambire, aliorum ministeria gratiamque et laudes quaerere, quacunque sit ratione. [Funera proprie de toto apparatu sepulturae. Ernest. ad Sueton. Domit. 15. p. 294. Wolf. Et haec omnia in comparationem Romanorum dicta sunt.]

XXVIII.

[In singulis Germaniae nationibus enumerandis hunc ordinem observat Tacitus: nationes haud proprie Germanicae. Cap. 28. Rhenum, occidentem versus, accolentes. Cap. 29 — 34. Rhenum, septentrionem versus, accolentes. 35 — 37. foedus Suevicum. 38 — 41. accolae Danubii 42. 43. accolae Oceani septentrionalis. 44. 45. populi ultra Oceanum degentes, partim fabulosi. 46.]

Divus Julius. Bell. Gall. 6, 24. [Möser, Hist. Osnabr. 1. p. 134. Tac. Agric. 11.]

[quantulum enim amnis obstabat. v. Gagern hist. nat. Germ. p. 13. 171. et Ern. Maurit. Arndtius de Rheno, haud idoneo Germaniae termino.]

diversas. aliae sedes versae ad hunc regem, aliae ad illum: separatae. — v. Var. lectt.

Hercynia silva. Ne in nostris tabulis Geographicis saltum quendam unum quaeras, ad quem nomen Romanum pertinebat: neque necesse est, ut Hercynia silva, qualem et quantam Romani e cognitione parum accurata rumoribusque incertis descripsere, re vera in Germania fuerit. Secundum opinionem Romanorum Hercynia silva oritur ab Helvetiorum et Nemetum et Rauracorum finibus, Caesar. B. G. 6, 25., prope a fontibus Danubii et Rheni septentrionem versus. Strabo. 7. p. 292. Sequitur laevam Danubii ripam, confinis Rhaetiae meridiem, Chat-

torum septentrionem versus, Claudian. de bello Get. 330. Tac. Germ. 30, usque ad fines Dacorum, ita ut latitudo novem dierum iter expedito pateat. Caes. l. c. In hac regione locis natura munitis magnum includit circulum, habitationi egregie aptum, in quo et *Βοΐαιμον* Marobodui regia est. Strabo. 7. p. 290. Tac. Annal. 2, 45. Hinc Hercynia silva se flectit sinistrorsus, i. e. versus septentrionem, diversis a Danubio regionibus, multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit. neque quisquam, Julio teste, est Germanorum, qui se aut adisse ad initium ejus silvae dicat, cum dierum iter sexaginta processerit, aut, quo ex loco oriatur, acceperit. Suevi sub axe frigido legunt succos, cap. 45., lucis Hercyniis, Senec. Medea v. 712. Et Cimmeriorum, quibus ipse polus fere super vertice est, terra nemorosa, opaca, caliginosa usque ad Hercynios saltus introrsus pertinet. Plutarch. Mar. cap. 11. — cf. Mannerti Geogr. T. 3. p. 510. sq.

mutatis cultoribus. v. cap. 42. 43.

ab Osis, Germanorum natione. Est appositio: von den Osen, als einem Germanischen Stamme. — v. Var. lectt.

Treveri, Augusta Treverorum, Trier. — Nervii, Mosa a Treveris separati. Bagacum, Bavay. Valentinianae, Valenciennes. [Treveros, quos Treviros scribere maluit Valesius. Originem duxisse e Trebeta, Semiramidis privigno, a noverca patriis finibus expulso, docet nos Epigr. in Anthol. Lat. 3, 20. T. 1. p. 472. repetitum a Wernsd. Poet. Lat. Min. T. 5, 3. p. 1382.]

inertia Gallorum. cf. Agric. 11. [constans Taciti erga Gallos odium. Gagern. hist. nat. Germ. p. LXXII.]

Vangiones, penultima correpta, Lucan. 1, 431. Borbetomagus, Worms. — Triboci. Argentoratus, Strasburg. — Nemetes, *Νέμητες*. Noviomagus sive Augusta Nemetum, Speyer.

Ubii. Agrippa eos Rhenum traduxit, non vero coloniae conditor, neque auctor est nominis: sed ab Agrippina id habent, ejus filia. Colonia Agrippinensis, Cöln. [Lipsii verba inconsiderate compilans, idem quod ille gravissimum peccatum contra historiam commisit Bredovius: minime enim ab Agrippina, Agrippae et Juliae filia, Germanici conjuge, nomen acceperunt Agrippinenses, sed ab Agrippina, Germanici filia, Claudii Imp. uxore. v. Interpp. Annal. 12, 27. et Histor. 4, 28, anno V. C. 804. p. Chr. 51.]

XXIX.

Batavi. Histor. 4, 12. [seditione domestica, v. Möser. Hist. Osnabr. 1. p. 135.]

[manet honos. cf. Histor. 5, 25. Lipsius ad Annal. 13, 18. Möser. Hist. Osnabr. 1. p. 146. F. A. Wolfius ad Sueton. Ner. 34.]

nec tributis contemnuntur. nam quibus tributa imponuntur, hoc ipso, ut victi, pro contemptis habentur et despretis. Nec publicani, quibus vectigalia locantur, injustitia atque avaritia, premendo torquendoque eos atterunt: exempti sunt oneribus, quae suscipere atque perferre imperantur, et muneribus conferendis.

Mattiaci, ex adverso Mogontiaci, in quorum regione fontis calidi, Mattiacae aquae, Wisbaden. Plin. hist. nat. 31, 2. Ammian. Marcell. 29, 4. Mattium vero inter Rhenum et Adranam, Marburg, caput gentis Chattorum vocat Tacitus, Annal. 1, 56. [De Mattio ambigitur, sitne Marburgum ad Loganam, an Maden, oppidum hodie ignobile ad Adranam. Posterius, idoneis argumentis allatis, statuit Mannertus, Geogr. T. 3. p. 563. B. H. Wenckium, Histor. Hass. T. 2. p. 76. sq. sequutus.]

Decumates. Errare censeo, qui proprium hic gentis aut loci nomen quaerunt. Ego communiter Decumates agros interpreter, qui decumas solvunt, (Lipsius.) quas ii, qui eos occuparunt, solvisse videntur, ut tutela Romanorum fruerentur.

provinciae, Germaniae: sc. ad laevam Rheni ripam, quae in superiorem et inferiorem divisa erat.

XXX.

Chatti in ea regione habitabant, quae hodie Hassia dicitur: eorum terra non ita porrecta et plana, ut cetera Germania: nam colles, tanquam cum nisu aliquo, esurgunt et loca sua obtinent, nec nisi paulatim rarescunt: et Hercynius saltus Chattos, tanquam amores suos, mox prosequens attingit, mox deponens recedit. Propria vox est de amantibus, amorem deponere. [male: Chatti Hercyniae quasi filii sunt, montes vera Chattorum patria.]

ut inter Germanos, apud quos vulgo parum rationis ac solertiae: sequuntur non rationem, sed libidinem ac fortunam, aguntque neque ingenio nec manu solerti: imprudentes sunt atque inertes.

ferramentis, securi, ligone, rutro. [Lips. ad Histor. 5, 63. Nic. Heins. ad Virg. Aen. 12, 344. Interpp. Liv. 9, 40. 24, 48. Ernest. Exc. ad Sueton. Tit. 9. T. 2. p. 350. Wolf.] copiis, et cibariis, et quae salubris in castris cura corporis desiderat.

XXXI.

[vertit, pro conversum est, v. Bentl. ad Horat. Carm. 4, 10, 5. Cort. ad Sallust. Jug. 85. Ruhnk. ad Rutil. Lup. p. 73. quod idem de verbo mutare observatum Dukero ad Liv. 2, 52. et Ruhnk. ad Vellej. 2, 82. p. 342. praecesserat Gellius. 18, 12. nec abhorret Graecae linguae consuetudo: τρέπε sensu neutrali optimo jure servavit Erf. in Soph. Antig. 1107. μεταστρέφειν habes apud Eurip. Hippol. 1226. Valck. de verbo ἐπιστρέφειν v. Schaefer ad Dionys. Halic. de comp. verb. p. 280. de μεταβάλλειν, Bast Epist. crit. p. 151. Utramque linguam comparat Vechner, Hellenolex. p. 70. Heus.]

[ignominiosum. Contra Herelium, ominosum reponentem, bene disputat Jo. Beckmann, Animadv. minor. 2, 14. p. 300.]

hic habitus. sc. oris, crinibus sparsis barbaque submissa velati, ferreique annuli: et hoc habitu insignes durant usque dum cani, i. e. senes fiant.

visu nova. in pace non quotidie neque congregati videntur: igitur tota acies barbatorum visu nova est, maxime hostibus. [sed v. Var. Lect.]

XXXII.

certum, minus se effundentem aut lacus efficientem, ut apud Batavos.

Usipii vel Usipetes. Annal. 1, 51. Caes. B. G. 4, 1. et Tencteri saepius sedes mutarunt. et Suevis agris suis expulsi et multis locis Germaniae triennium vagati, ad Rhenum venerunt, fluviumque transvecti Menapiorum agros atque aedificia occupaverunt, inter Rhenum et Mosellam. Hinc latius in Galliam vagabantur. A Caesare vero in fugam versi, magno numero interfecto, reliqui se in Rhenum praecipitaverunt, atque ibi timore, lassitudine et vi fluminis oppressi perierunt. Pars vero equitatus, quae proelio non interfuerat, post fugam suorum se trans Rhenum in fines Sigambrorum [Tacito Sugambri, Annal. 2, 26. 4, 47. 12, 39.] recepit, et Sigambris in Galliam translatis, omne eorum solum circa Lupiam obsederunt, Usipii Batavorum insulae proximi, Tencteri Ubiis et Chattis. Urbes eorum nullae laudantur, quippe hinc illinc migrantium.

XXXIII.

Bructeri inter Lupiam et Amisiam habitaverunt, Annal. 1, 60., Chamavi quorum vestigium in nomine urbis Hamm

mansisse videtur, et Angrivarii ab oriente in fines Bructerorum immigrarunt, ex illis regionibus, ubi etiam nunc circa Albim vestigia denominationis exstant in Angern, Angermünde, cet. — Bructeri vero non penitus excisi: pars eorum superstites belli super Rheni ripam e regione Coloniae Agrippinensium positi, mox in clarum Romanisque formidabile excreverunt nomen. Gregor. Turonens. 2, 9.

oblectationi oculisque. Spectatores otiosi esse potuimus proelii, in quo LX millia hostium suis armis cecidere, sicut cum gladiatorum pugnas in amphitheatro delectationis causa videmus. [De funestissima hac Bructerorum clade v. Möser. Hist. Osnabr. 1. p. 171.]

[odium sui. Haud leve decus Drusus Tiberii quaesivit, illiciens Germanos ad discordiam. Annal. 2, 62. cf. Agric. 12, 32. Divide et impera!]

XXXIV.

a tergo, ab Oriente, Visurgin versus. — aliaeque gentes. Amsibarii et Tubantes. Annal. 13, 55.

[majoribus minoribusque Frisiis. Mannerto, Geogr. T. 3. p. 302. Tacitus in hac Frisiorum divisione Frisios Chaucosque confudisse videtur: certe duplices Frisios ex hoc tantum loco novimus: Chaucos vero majores habemus apud Tacitum ipsum. Annal. 11, 19. et apud Plin. hist. nat. 4, 14. 16, 1. majores minoresque.]

praetexuntur. tanquam praetexta seu fimbria obducuntur, concluduntur. Plin. hist. nat. 6, 25. „montes omnes eas gentes praetexunt.“

lacus. „Rhenus, prope ab ostio, jam non amnis, sed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur.“ Mela. 3, 2. — et Romanis classibus navigatos. Annal. 1, 70. 2, 5. sq.

[Herculis columnas. De columnis Herculis septentrionalibus v. Schlözer. hist. univ. septentr. p. 157. Ukerti Geogr. Graec. et Rom. T. 1, 1. p. 216. Frid. Henr. ab Indagine de Irmino. p. 12.]

sive — seu, sive vocalem subsequentem, seu consonantem amat. Sueton. Caes. 79. Poetae versui obediunt.

Druso Germanico, filio Drusi, privigno Augusti. [Non negandum est, Drusum Tiberii fratrem, fossa Drusina Rhenum inter et Iselam confecta, primum ducum Romanorum, Oceano Septentrionali classem Romanam commisisse. v. Sueton. Claud. 1.

Idem locus edocet nos, Senatum Druso mortuo ejusque posteris Germanici cognomen decrevisse: assentit Dio Cassius, 55, 2. Hactenus omnia satis sunt expedita. Sed addit Tacitus, post Drusum neminem amplius Oceanum ne tentavisse quidem: quibus ipsius Taciti de expeditionibus Germanici Caesaris narrationes repugnant. Annal. 2, 6. 23. Dio Cass. 57, 18. cf. Mannerti Geogr. T. 3. p. 115. eti mprimis Frid. Hoffmannum de exped. Germanici. p. 14. 17. 19. 24. deque naufragio Germanici in oris Frisiorum Schloezerum, Hist. univ. Septentr. p. 138. Praeterea haec expeditio anni post Chr. n. 16. carmine epico celebrata erat Pedoni Albinovano, qui, ut videtur, ipse militaverat in Germania, Annal. 1, 60. Fragmentum satis luculentum servavit M. Seneca, Suasor. 1. p. 10. Bip. in Anthol. Lat. 2, 121. p. 287. a Burmanno, a Wernsdorfio inter Poet. Lat. Min. T. 4, 1. p. 229. receptum: nec dubium, Germanicum patris terminos certe attigisse: excessisse videtur. Donec igitur quisquam probaverit, Germanicum, Drusi filium, Drusum Germanicum dici posse, ita ut de hoc uno sermo sit, veram putabo emendationem Freinshemii: Druso ET Germanico.]

XXXV.

lateribus orientalibus, usque ad Albim. De Chaucis vide Plin. hist. nat. 16, 1. Majores minoresque appellantur Annal. 11, 19. [Plin. h. n. 4, 14. 16, 1.] Visurgi divisi, Ptolemaeo auctore ita, ut minores Amisiam inter et Visurgin habitaverint, quod Taciti aetate secus fuisse videtur. Fabiranum Ptolemaei (31° 30', 55° 20') in terra Chaucorum fuisse verisimile est, Bremaeque originem et nomen dedisse docti contendunt. [de nomine gentis v. Moeser. Hist. Osnabr. 1. p. 93. 163.]

impotentia, qui sui impotens atque superbiens alios laedit.

XXXVI.

In latere orientali circa Albim, austrum versus usque Salam. Arminius erat Cheruscus. — Marcens, quae robur atque virtutem detrahit. [malc. pax marcet, sicubi ex otio honesto in desidiam et inertiam transierit, marcore quasi infecta: nec marcentia pocula Statii, Silv. 4, 6, 56. de inebriantibus acceperim. In sententiam loci confer Agric. 11.]

[ubi manu agitur etc. Ingeniose commentatus est in hunc locum Gagernius, Hist. nat. Germ. p. 91. Moeserum, Hist. Osnabr. 1. p. 170. de perpetua inter Chattos Cheruscosque simultate adeas. Ceterum de lacuna in fine hujus capitis, quam statuerat Conringius, Saxones desiderans, jam nemo cogitabit. Apud Ptolemaeum demum hoc nomine occurrunt, aevo Taciti a Cheruscis haud diversi.]

Fosi nomen accepisse videntur a Fusa, amni Hildesiensi prope Peinam. [prope Cellas Allerae miscetur.]

XXXVII.

sinum, quem cap. 35. ingentem flexum in septentrionem dixerat.

utraque ripa, sc. Rheni. [17. 23. 28.]

exitus et exercitus in codd. eisdem litteris scribuntur: nam ER brevi lineola super litteras significatur. Facilis igitur est permutatio. Rarius exitus est actio exeundi. Cic. Parad. 4. exitus calamitosus opponitur reditui glorioso, et Caes. B. Civ. 3, 69. equites Caesaris salutem et exitum sibi pariunt.

Caecilio Metello ac Pap. Carbone Coss. secundum rationem Varronis a. U. 641.

alterum Imp. Trajani cons. a. U. 851. p. Chr. n. 98.

Samnis ad furculas Caudinas Liv. 9, 2. Florus. 1, 16. Poeni, sufficit Hannibalem memorare. Hispaniae, Liv. 26, 42. Viriathus ac Numantini. Flor. 2, 17. 18. Eutrop. 4, 8. et Sertorius Plutarch. V. Galliae, Caesaris Commentt.

Arsaces primus Parthorum rex a. U. 498. a. ante Chr. 256, a quo postea reliqui reges nomen sortiti sunt. Crassi caedes, triumviri, a. U. 701. — Paçorus, Orodis filius. Flor. 4, 9. Tac. Hist. 5, 9. — Ventidius [a mulione, Cic. Phil. 13, 2.] Antonii legatus, a U. 715. Gellius. 15, 4. Appian. Parth. et Plutarchi Crass. [Burm. ad Anthol. Latin. T. 1. p. 307. Juvenal. 7, 199.]

Carbone ad Norejam. Strab. 5. p. 214. Liv. epit. 63. — Cassio, a. V. 647. Caes. B. G. 1, 7. — Scauro Aurelio. Liv. epit. 67. — Caepione, Liv. l. l. Flor. 3, 3. — Cn. Manlius, nam post necem Capitolini decreto gentis Manliae cautum erat, ne quis deinde M. Manlius vocaretur. Liv. 6, 20. In Fastis est ad a. 649. Cn. Manlius.

Varum. a. p. Chr. 9. Suet. Octav. 23. Flor. 4, 12.

Marius. a. V. 652. Flor. 3, 3. — Drusus. Suet. Claud. 1. Dio Cass. 54. — Tiberius Nero Caesar, Augusti privignus, frater Drusi. Vellej. 2, 106 — 108.

C. Caesaris Caligulae minae. Sueton. Calig. 46. [Agric. 13. Casaub. ad Persii sat. 6, 47. Dio Cass. 59, 25. Arntzen ad Aurel. Vict. de Caes. 3, 10.]

[discordiae inde a Nerone occiso usque ad securitatem publicam a Vespasiano restitutam. Histor. 4, 12. Agric. 41.]

Gallias affectavere. maxime Batavi, Claudio Civili duce. a. p. Chr. 69. Histor. 4, 12. sqq.

triumphati magis. Agric. 39. Suet. Domitian. 6. 13. — Melius scribas: ac rursus pulsi, inde proximis temporibus etc. [quam veriorem viri praestantissimi sententiam in adornanda var. lect. illaudatam praetermittere haud debebam.]

XXXVIII.

Suevorum nomen non unius gentis fuisse videtur, sed appellativum, die Herumschweifenden, Nomades. quam significationem nominis Caesar ignorans omnes populos Germaniae, quorum nomina sibi non comperta erant, hac appellatione complexus est, ita ut Suevos, gentem longe maximam, ad ipsum Rhenum poneret, B. G. 4, 1. sq. [1, 37. 4, 7.] et Strabone teste, 7. p. 290. qui sua e Julio hausit: *μέγιςον τὸ τῶν Σοήβων ἔθνος, διήκει ἀπὸ τῦ Ῥήνυ μέχρι τῦ Ἄλβιος, μέρος δέ τε αὐτῶν καὶ πέραν τῦ Ἄλβιος νέμεται.* Quum vero tempore subsequenti singularum nationum nomina et fines Rhenum inter et Albim Romanis percognita essent, Suevis nullus hic erat locus: omnes vero intra Albim, Danubium, saltum Hercynium Oceanumque degentes populi gentis Suevicae esse videbantur, omnesque nationes, quas Tacitus usque ad finem cap. 45. [errat Bredovius: capite 41. absolvitur narratio de Suevis.] enumerat, Sueviae sunt. [De foedere Suevico optime disseruit Möser, Hist. Osnabr. 1. p. 128. 133. cujus rationes frustra impugnavit Adelungius, antiq. hist. Germ. p. 198. sq.]

obliquare crinem. in circulos, qui in obliquum se tollunt, flectere crinem et sub finem, in summo turriculae crinitae, nodo subnectere.

capillum retro sequuntur, sine sensu. Bene Scaliger: retrosequus, i. e. retrosecus: aut, quod quidem propius accederet ad lectionem vulgatam: retrosequum, si forma esset

probata. Alii Suevorum retrosecus flexum crinem substringunt, alii vero in rectum, ut terreant, ornantur tanquam hostium oculis [v. Var. lectt.]

XXXIX.

Semnones, Σέμνωνες Strabo, Σέμνονες Ptolem. Eorum fines Albis praeterfluit. Vellej. 2, 106. et Ptolemaeo auctore orientem versus Suevus amnis, fortasse Viadrus [Mannerto, T. 3. p. 522. ostium Varnae prope Rostochium.] eos praetexit.

auguriis patrum et prisca formidine sacram. est Hexameter. [Admodum displicuit Ernestio judicii Ciceroniani, Orat. 20., nimis memori, ita ut totum hunc locum Tacito eximendum putaret. praef. p. LXIII., aut certe verba: religione patrum et prisca formidine! Taciti ingenium a numeris sane poeticis minime abhorruisse, abunde docet initium statim Annalium: plures et integros versus et versuum partes particulasque ex omnibus historici libris diligenter congessit Jo. Bambanius Hamburgensis in Fabricii Bibl. Lat. T. 2. p. 389. ex ipso Cicerone, Sallustio, Livio, Catone, Muret. ad Cic. Cat. 1, 1. Casp. Barth. Advers. 11, 16. Cortius ad Sallust. Catil. 19, 5. Notissima sunt verba Demosthenea de cor. 47. p. 275. Reiske

τὸν γὰρ ἐν Ἀμφίσσῃ πόλεμον, δι᾽ ὃν εἰς Ἐλάτειαν
ἦλθε φίλιππος —.

plura vide apud Longin. proleg. ad Hephaest. man. p. 138. Gaisford. et apud Taylorum ad Demosth. in Neaer. p. 1008. Reiske.]

centum pagis habitant. magis e more Taciti. [Rectius in notis de hoc loco judicavit Bredovius, quam in var. lectt. Si vero idem in obss. interpr. vernaculae subjectis, p. 113. evolvunt pro evolvuntur rescribere maluit, minime adsentientem me habet.]

XL.

Langobardi circa Albim. Strabo 7. p. 290. [et quidem inferiorem, inter Magdeburgum Hamburgumque. Vellej. 2, 106. Nomen gentis ab armorum, quo utebantur, genere explicuit Moeser. Hist. Osnabr. 1. p. 38. Longolius, et probabilius quidem, a sedibus, quibus hodieque nomen mansit, Langeboorde.] *

valentissimis nationibus. Marcomanis, Semnonibus, Cheruscis. Annal. 2, 45. Hermunduris. Strabo. l. l.

Reudigni ceterique populi ubinam habitarint, nescimus, et mutationes nominum, ut nominibus notis conveniant, arbitrariae et irritae sunt. Quum vero Angliorum sedes circa ostia Albis fuerunt, unde saeculo quinto cum Saxonibus vicinis in Britanniam trajecerunt, quum Varini ad Varnam fluvium in tractu Megapolitano habitasse videntur, v. Ptolem., conjicere licet, ceteros in eadem fere regione inter Albim et Viadrum, in Brandenburgia sedes suas habuisse, et Nuithones fortasse circa Nutham, amnem Servestae. [Eudoses ad flumen Holsatiae Euding, Suardones ad Schwartam, amnem Lubeccensem locant. Quod legit Cod Longol. Suarines, de Suerinensibus accipi possit.]

[insula Oceani. Quaenam haec insula Oceani fuerit, multum disputarunt V. D. Aliis alia placuerunt, Helgolandia, Mona, insulae ad ostia Viadri, Bornholmia, ipsa quoque Scandinavia. Zoellnerus tamen, Itiner. Pommeran. p. 250. sq. gravissimis evicit rationibus, de nulla alia praeter Rugiam insula cogitandum esse: accedit Gagernius, eques ipse Rugianus, Hist. nat. Germ. p. 57. Et sane, quicunque intraverit nemora Stubnitiae, Sagardiam inter et promontorium Stubbenkamerae, conspexerit arcem, hodieque Herthae dictam, subjacentemque Lacum Nigrum, formae plane orbiculatae, densissimis silvis cinctum, immensae altitudinis, acceperit incolarum de his Herthae sacellis narrationes avitas, nec, quod nuper jactitarunt, a Zoellnero hominibus nostratibus e Saxone Grammatico recens inculcatas, cogitaveritque praeterea naturam reliquarum, quas dixi, insularum ab ea, quam Tacitus descripsit, diversissimam: is jam non haesitabundus in sacris illis Rugiae lucis almae matris Herthae sedes agnoverit. Hic illius arma, hic currus fuit!]

castum, nulla re profana pollutum corruptumque.

templo reddat, i. e. sacro nemori: templum enim, ut τέμενος, locus sacer circumscriptus. Ovid. Metam. 5, 278. Lucret. 5, 946.

XLI.

propior, Romanis.

Hermunduri. habitabant ad flumen, gignendo sale fecundum. Annal. 13, 57. inter Salam et Albim [Salam Franconiae fuisse credibile est.] et Marcomanis in Bojohemum recedentibus, usque ad Danubium. [Moesero Boji, Hermunduri et Marcomani ejusdem gentis nomina fuisse videntur, ita tamen ut Marcomani reliquos complexi sint: comparat Magdeburgenses, Brandenburgenses, Borussos. Hist. Osnabr. 1. p. 134.]

Rhaetiae Colonia. Augusta Vindelicorum. [quod nomen primum apparet apud Sext. Rufum, Breviar. 10. circa annum 380. Temporibus Taciti colonia, recens forrasse condita, certe haud prius memorata, proprio quodam nomine adhuc caruisse putanda est.]

sine custode. Histor. 4, 64. 65.

notum olim. cf. supra cap. 37. Dubitare licet, num verus Albis fons Romanis cognitus fuerit. [Mannert. T. 3. p. 456. 521.]

XLII.

Narisci ad montem piniferum in confiniis Franconiae et Bohemiae habitasse videntur. Marcomanorum sedes, pulsis Bojis, erat Bohemia, saltu Hercynio circumclusa. v. cap. 28. et not. Quados alii Silesiae, alii Moraviae incolas faciunt.

reges. Annal. 2, 44. sq. 62. sq. 12, 29. [Moeser Hist. Osnabr. 1. p. 156.].

XLIII.

Retro — terga, orientem versus. Osi in finibus Bohemiae non procul a Danubii ripa habitasse videntur, cap. 28. ceteri in saltu Bohemico atque montibus Silesiae: in extremis finibus Germaniae.

Lygii in Silesia habitasse putantur. Annal. 12, 29. 30. Singularum civitatum sedes describere parum liquet. [Elysiorum nomen Silesiis comparat Gagern. Hist nat Germ. p. LXXX.]

[Alcis. Haec numina intelligere videtur Timaeus Siculus. apud Diodor. Sic. 4, 56 de Tyndaridis narrans, eos in praecipuo apud Celtas ad Oceanum honore fuisse. Nomen Alcis Antonius, interp. vernac. p. 186. recte derivare videtur e Slavico: Holcay, pueri.]

[tincta corpora. mos barbarus, gentibus Germanicis plane ignotus. Wesseling ad Herodot. 5, 6. Jo. Beckmann. Animadv. minor. 1, 10. p. 69.]

Gothones. Annal. 2, 62. vicini Lygiorum in finibus Silesiae et Poloniae: nequaquam iidem, quos Plin. hist. nat. 37, 3. e scriptis Pytheae Guttones vocat et ad Oceanum ponit.

[regnantur. Regnum et regnare, invidiosa vocabula, aut de iis quorum nimia in republica potestas, aut de dominatione tyrannidi propiore omnemque libertatem pessumdante. cap. 25. 37. 44. Annal. 2, 44. 13. 54. Duker ad Flor. 3, 13. Ernest. ad Sueton. Caes. 76. F. A. Wolfius ad Suet. Caes. 9.]

Rugii et Lemovii in Pommerania habitasse videntur, et Rugiae insulae nomen antiquae sedis vestigium retinuisse haud procul fortasse a vero.

XLIV.

Suionum insulam in Oceano, i. e. in mari Baltico praeter Tacitum nullus antiquorum scriptorum refert. Plerique docti opinantur, Sueciae partem meridionalem indicari, quam fama cognitam insulam fuisse veteres credidisse.

et opibus honos. respicit ad cap. 5.

[facile lasciviunt. explicat haec Agric. 16.]

XLV.

mare pigrum. Agric. 10 — 12.

[sonum insuper audiri. Accepit haec Schloezerus, Hist. univ. septentr. p. 139. de fulgoribus borealibus, explicuitque e narrationibus per Lapponiam peregrinantium, praecipue Monnerii, qui simillima de mira colorum coruscatione deque inaudito quodam strepitu inter haec phaenomena observato tradiderunt.]

illuc usque natura. Senec. Suasor 1. p. 3. Bip. „Ita est rerum natura: post omnia Oceanus, post Oceanum nihil."

ergo jam. ut ergo a fine naturae iam redeam ad veritatem. — Suevici i. e. Baltici maris. — Aestyorum nomen etiam nunc permanet, Esthen, qui Prussiam, Curlandiam et Livoniam incoluerunt.

[formas aprorum gestant. v. Frid. Henr. ab Indagine in erudito de Irmino libello. p. 49.]

Glesum. i. e. Glas. Ἤλεκτρον. Bernstein. Plin. hist. nat. 37, 2. 3. Quas vero Plinius, 4, 13., insulas Glessarias appellat, ad ostium Rheni quaeras, non in mari Baltico. [Historiam succini dedit Schloezer. hist. univ. septentr. p. 34. sq. 123. sq. cf. Jo. Henr. Vossii notit. orb. antiq. in Ephem. Litt. Jenens. 1804. T. 2. p. XXXIII.]

perfertur. per Pannoniam ad mare Adriaticum. Plin. l. l.

tura solis sunt Sabaeis, balsamaque uni terrarum Iudaeae concessa. cf. Virg. Georg. 1, 57, praecipue 2, 115. sq. Plin. hist. nat. 12, 25. 16, 32. Tacit. Histor. 5, 6.

[vicini solis radiis, e sententia antiquissimorum philosophorum Jonicorum, Anaximandri praecipue et Anaximenis, dicta

sunt. v. Menag. ad Diog. Laert. 2, 1. Stob. eclog. phys. 26, 1. p. 524. Heer. Accedebant Epicurei. v. Interpp. Avieni de ora marit. 644. et Ukerti Geogr. Graec. et Rom. 1, 1. p. 216.]

continuantur, continuae, finitimae sunt.

XLVI.

Peucini, qui Strabone auctore, 7. p. 306. circa Ostia Istri insulam Peucen obtinuerunt, secundum Plin. hist. nat. 4, 12. Tacitum et Ptolemaeum circa fontes Vistulae in finibus Daciae habitasse videntur cf. Plutarch. in Aemil. Paulo. 9. 12.

procerum, si vox incorrupta est, certe cum connubiis conjungendum est. [Locum paulo obscuriorem in var. lect. illustrasse mihi visus sum.]

Veneti, qui Ptolemaei tempore ad Oceanum habitabant, unde nomen sinus Venedici, Taciti aetate circa Vistulam mediam habitabant, aut habitare credebantur. [Quam protuli scripturam, Veneti, eam Harduinus quoque per totum Plinium agnovit. Ceterum nullus dubito, quin Antonius, interpr. Germ. p. 190., Venetos priscos, Wendosque serioris aevi eandem esse gentem recte judicaverit.]

ex moribus Sarmatarum. De Sarmatis cf. Histor. 1, 79. — Fenni, Finnen.

ingemere agris. non colunt agros, quo in opere gravi rustici gemere solent, non impendunt laborem in domibus aedificandis: non versant spem metumve de suis opibus augendis aut perdendis, neque timent aliorum vim; etiam adversus Deos securi, quod nihil habentibus, nihil cupientibus Dii nihil retrectare possunt.

fabulosa. Pompon. Mela. 3, 6.

Corrigenda.

In contextu:

p. 9. v.	10.	iuventute pro inventute
17.	1.	punctum post absumitur.
22.	2.	comma post apparatus.
53.	11.	hospitii pro hospitis.
60.	3.	sequuntur pro sequutur.

In varietate lectionis:

p. 5. v.	15.	*ἀσκιπύργιον* pro *ἀσκ πύργιον.*
7.	11.	punctum post exquisite.
12.	7.	mediae pro medae.
13.	20.	~~eligendam pro eligendum.~~
25.	15.	et in fine versus tollatur.
32.	4.	oscitantia pro obscitantia.
39.	18.	in illis pro in his.
44.	12.	punctum post exhibet deleatur.
60.	8.	punctum post ligant
61.	19.	quum pro ut.
	ult.	aliena pro alient.
64.	2.	Langobardos pro Langabardos.
73.	17.	dici pro deci.
77.	3.	universarum pro singularum.